


MUSEUM HELVETICUM

Ad juvandas Literas in publicos
Usus apertum.

Particula VII.



TURICI

Litteris Conradi Orellii et Soc.

MDCCXXXVIII.

ARGUMENTA,
Quæ ista MUSEI particula explicantur,
hujusmodi sunt:

- I. JO. CONR. WIRZII, (nunc TURIC. Ecclesiarum Antistit̄is) *Dissertatio Theologica de Consilio Pacis ad Zach. VI:* p. 333.
- II. EJUSDEM Viri Venerabilis *Dialogus de intempestivis Disputationibus & catholico Controversiarum in Caussa Religionis Judice. &c.* e MSC. p. 357.
- III. *Meditatio de Usu, quem præstat Christianismus in promovenda Eruditione.* e MSC. p. 369.
- IV. J. JACOBI BREITINGERI in *versus obscurissimos A. PERSIO FL. Sat. I. citatos Diatribe* in tres partes distributa:
 - I. disquirit de Auctore horum Versuum & P. BÆLIO opposita est. p. 381.
 - II. Versuum illorum Sensem exponit. p. 400.
 - III. Persium ab 'Angorix' vindicat a G. J. VOSSIO objecta. p. 418.
- V. *Vita CHRISTIANI URSTISII, Artium Mathematicorum. dein S. Theologie in Basil. Acad. Profess. tandemque Civitatis Tabulario præfeci, scripta a JAC. CHRISTOPH. ISELIO, Basil. S. TH. D. & Prof.* e MSC. p. 429.
- VI. *Epistolæ de Negotio Irenico Clariss. Viri J. DURÆI.* e MSC. p. 453.
- VII. *Nova Literaria.* p. 465.



עתה שלום

DISSERTATIO THEOLOGICA
de
CONSILIO PACIS
ad ZACHAR. VI: 13.

Auctore

(*) JOANNE CONRADO WIRTZIO.

Regnum
Christi in
primis pa-
ce com-
mendabile.

Felicem esse gentem illam, quæ regi-
paret clementi, pacisque artium
studioso, nemo, cui cor sapit,
ibit infitias. Nam ut rex, qui re-
gium imperium in superbiam do-
minationemque vertit, ac bellum ex bello ferit,
sui

(*) Vir venerabilis, nunc Ecclesiarum Turicensium
Antistes, hanc Dissertationem conscripsit, atque sub Præ-
sidio Clar. Viri Herm. Alex. Röel, an. 1712, quum in
Batavis ageret, Trajecti ad Rhenum publicæ luci expo-
sitam olim defendit: Eam vero in primis dignam judi-
cavimus, quæ huic Museo illata ad posteros transmitta-
tur.

Tom. II.

Y

sui quidem lubidinem animi implet, sed tantum
in rem publicam damni fert, ut in subjectorum
vita nihil insit, nisi miserrimi temporis propaga-
tio: sic contra, ubi benignitate & clementia im-
perium temperatur, ac quieta antehabentur tur-
bidis, ibi læta & candida omnia, pace cuncta re-
fovente, & principis mansuetudine rem popula-
rium magnis auctibus augente. Quæ vero fama
hujuscemodi clementiam sequatur, quantumque
laudis ac gloriæ apiscantur qui summæ rerum
tam placide præsunt; suo exemplo firmare potest
Salomon, sapientiæ præstantissimus, qui studiis
hisce usque adeo valuit, ut ejus vel admirationi
deditæ fuerint nationes regionum confinio adjun-
ctæ, vel caritate flagraverint ὡς ἀγχόμενοι, dulcis-
simi perfruentes otio, *I. Reg.* IV: 20. *sqq.* Quum
vero regiæ voluntates plerumque, *ut* vehementes,
sic mobiles sint, sœpe ipsæ sibi adversæ, atque ad do-
minandi cupidinem flexiles; censente *Sallustio B.*
Jug. 113. non mirum haberi debet, regnorum gu-
bernacula nusquam ferme ita traxi, nisi forte
apud Sevarambas. Ipse sane Davidides, justitia,
æquitate, ac firma pace clarissimus, tantum ab-
est ut invidiam suorum devitaverit, ut post finem
ejus acerbitudinem imperii apud filium gravissime in-
cusarent, & majorem imperitantium lenitatem
concione habita requirerent, *I. Reg.* XII: 4. Qua-
re laudes nostras longe anteit *Rex ille regum*, *Apoc.*
XIX: 16. salutis nostræ arbiter, *Christus*, cui in
cœlum electo, nihil magis propositum, quam
quiemadmodum regale solium *justitia & judicio*, be-
nignitate & fide suffulciat tamquam tibicinibus, *Psi.*
LXXXIX: 15. Neque facile dictu, quanta sit
felicitas delectæ pubis, quæ in ejus gastra nomen
dedit;

dedit; omnibus ab eo ita provisis, ne qua labes prospero rerum cursui imponi possit. Quippe *justitia & pax, sororio nexu copulatae, se mutuo disfaviantur*, Ps. LXXXV: 11.

Secundum II. In ea tempora ætas nostra incivaticinium dit, ut quum maxime miseriariū si-Zacharie, nem sperare nos oporteret, numquam minus possimus. Tot enim tantisque rebus plerique omnes Europæ incolæ urguntur, ut solida adlevatio videatur inventu perquam difficilis. Perculta & prostrata bello pæne inexplicabili jacent omnia. In unius duorumque hominum jactationem multorum millium sanguis impenditur: provinciae, regna, maria, terræque aspera, aut fessa bellis, aliisque calamitatibus fiunt. Neque frigidi tantum septentriones inflammati; sed Scythæ etiam, qui que ultra Tanaim colunt, sedibus suis exciti, Christicolis imminent. Et si quos mutabiles rerum vices armis abstinuere, quin pacem sterilem aut infidam agitant, ambigi nequit. Quando autem pacis conditiones cum maxime tractantur, nonnullaque ejus irritamenta ostentantur, multorum malorum extum appropinquare crederes: sed in eum locum deducta res est, ut pax isthæc haud minus quam bellum timeatur ab iis, quibus placuit aurea illa Taciti gnome: *in pace suspecta tutius bellum*, His. IV: 49. In tanta rerum confusione fieri profecto non potest, ut Christi regnum omnis periculi sit exsors. Nam & qui mente Deum colunt, & quos pertinax fortuna exercet, omnes in eadem sunt navi. Accedit eo, ut qui veram atque ab omni superstitione repurgatam religionem ore profiterentur.

fitentur, a pristina illa puritate suique integritate non parum deflexerint. Quippe pars multo maxima voluptatum inlecebris de bonæ mentis sede dejecta, omnia carius quam Christi doctrinam aestimant; alii vero, ingenio sive petulanti, sive intemperanti nimium tribuentes, egregiam Christi tunicam abscindunt, suique cerebri lacinias nefario ausu adsuunt. Quo fit, ut pii homines in non-nullam dubitationem adducantur, exsequuturus-ne sit Deus consilia sua sanctorum Vatum reclusa oraculis, de Ecclesia nostra, tranquillatis rebus ejus, amplissimis ornanda honoribus, atque inter jubila Angelorum ad summa vehenda. Ut ergo omnes scrupuli ex hominum animis penitus evelerentur, atque in tantis tenebris, & quasi partenitiae rei nostræ sacræ, esset nobis, in quo adquiesceremus; haud ab re fore duxi, brevi dissertacione probare, Jesum, cuius in nobis eximia maiestas esse debet, regnum suum secundum æternum pacis consilium ita administrare, ut ex turbulentiissimis rebus idemtidem se emergat, ac ad summum evehatur fastigium; huicque fini paucula commentari in illustre vaticinium, quod edidit Zacharias Cap. VI: 13. ultima commatis parte hæc verba ore fundens: בַּיִן הַהִיא שָׁלֹם שְׂנִיהם. Et consilium pacis erit inter ambos istos.

Cujus scopus & nezus ostenditur.

III. Ut luculenti hujus oraculi sensus recte intelligatur, non incommodum videtur, occasionem & ejus nemum cum praecedentibus expromere. Quum Judæi, ex Babylone reduces, templum & avitas sedes reædificarent, magnosque perciperent luctus ex eo quod permultum de pristino

pristino splendore deminutum, seque sine rege
 animadverterent; optimo Deo visum est, ad fa-
 nandos mœstorum animos, canere regnum & pon-
 tificatum Messiae. Igitur divinitus jubetur Zacha-
 rias, *binas* (ut mihi quidem satis spectatum est:
 licet alii unam tantum fuisse putent, pluratio
 numero propter excellentiam posito, uti etiam
 in vocibus אלהים חכמתות. conficere coronas, alte-
 ram ex auro, ex argento alteram, easque imponere
 capiti Jehoschuae Pontificis, qui in præsens Messiae
 personam sustineret. Id quod subinde explicat,
 additis verbis quæ *Jehova Deus exercituum præscri-
 pserat*: *Ecce vir, זמָח שְׁמוֹ cui nomen Tzemach,*
de sub se germinabit &c. Is ergo, de quo edita
 oraculo fors, זמָח nuncupatur. Quæ vox ger-
 men denotat vel terræ, Gen. XIX: 25. vel arbo-
 ris, Ezech. XVII: 9, 10. quod a principio suo
 non separatur, sed conjunctum cum eo est. Utī
 vero in S. Codice alia plantarum nomina Messiae
 applicantur, ut quum עֵגֶל virgula, נַצְר surculus;
Ezaj. XI: 1. יונק ramus; *ibid.* LIII: 2. פִּסְךָ radix;
Apoc. XXII: 16. appellatur: sic eundem per
 עֵגֶל significari, non probamus, sed tamquam in-
 dubitatum ponimus: cum quod ex Christianis
 plerique, ex Judæorum magistris autem complu-
 res, id nobis adsentiuntur: tum quod idem nomen
 alibi passim Messiae vindicatur, *Jer.* XXIII: 5.
 XXXIII: 15. *Zach.* III: 8. in primis ubi זמָח
 כְּתַחְתֵּי הוֹהֵה dieitur, *Ezaj.* IV: 2. Hic germinabit
 ex sub se, id est, ex se ipso, sine ulla ope huma-
 na, haud secus atque planta sponte terra nata.
 Quæ descriptio apprime convenit in naturam
 Christi humanam, quam ipse divina sua potentia
 in virginis utero formaret, ut esset fructus terræ,

Esaj. IV: 2. & radix, quæ gignitur humus arida atque
 arenosa, ib. LIII: 2. Neque alia sequentium sen-
 tentia est: & ædificabit templum Jehovæ. Hoc enim
 templum est templum corporis sui, Ioa. II: 21. quod
 quidem Pater pararet, Hebr. X: 5. coll. Ps. XL:
 7. sed ita, ut etiam conferet per Filium, qui ea-
 dem, quæ Pater, efficit, Ioa. V: 19. quemadmo-
 dum id manifesto indigetari videtur Luc. I: 35.
 Reclissime autem templum Jehovæ vocatur, quia in
 humana Christi natura, cum divina arctissime
 conjuncta, omnis Deitatis plenitudo habitat romari-
 ñæ vere & re ipsa, Col. II: 9. Sed quid sibi vult,
 quod eadem dictio ab vate repetitur? meo judi-
 cito infra majestatem oraculi positum, si quis hæc
 ideo dumtaxat repetita dictitaret, quo firmius
 mentibus infigerentur. Quare posteriore dictione
 per Jehovæ palatum intelligi potest sive Ecclesia
 Novi Fæderis, imponenda solo spectatæ firmitatis,
 immo petræ immotæ, ipsi Christo, Matth. XVI:
 18. & faxis Apostolorum ac Prophetarum solidanda,
 Eph. II: 20. Apoc. XXI: 14. quæ ultimo capitil
 nostri commate exsæcum nomine templi Jehovæ ve-
 nit, gentium ad cursu amplificandi; sive, quod mi-
 hi, ordinem nexumque verborum attendenti, sit
 vero similius, idem corpus Christi, quod ipse post
 ejus occasum quasi ex ruinis rursum excitaret, in
 hunc modum: immo ille ipse templum corporis, ho-
 stium sævitia dirutum, iterabit. Quocum valde
 quam consentit oratio Jesu, Ioa. II: 19. Post
 hæc gestabit decus; omnem paratum re-
 gium, qui gloriam conciliare, ac spectantium
 animos pellicere potest: in primis regio & pontifi-
 cali insigni caput evinctus, cuius binæ illæ coro-
 ñæ, Jehoschuae capiti impositæ, imagines gesse-
 rant.

rant. Hanc maiestatem suam feret, id est, postea
 quam regni solemnia capessivit, mortalium oculis
 eam permittet contrectandam; vel accipiet, sci-
 licet a Patre, laboris pretium, Ps. VIII: 6. Por-
 ro in hoc ornatu habebit *solum*, nempe *Patris*,
Apoc. III: 21. quod per passiones sibi ierat vindicatum,
Ps. XLV: 7. ut in *cælo & terra*, per eum
 in unam veluti summam redactis, dignitate foret
 regia, *Ezaj.* LXVI: 1. Vocatus itaque in regni
 societatem, in *Patris* solio *sedebit*, de more re-
 gum, qui *in regali solio resident*, *Curt.* IV: 1. pari
 modo Christus, maximis periculis perfunctus, *ad*
dextram Patris collocandus erat, *Ps.* CX: 1. non
 ut otium sequeretur, sed ut *dominaretur*, in regen-
 da Ecclesia virtute divina agendo, eamque ab
 omni injuria defensando. *Qua de cauſa excel-*
ל dominus, *Jer.* XXX: 21. & *טושל*
בארם dominus inter homines II. *Sam.* XXIII: 3.
 cluet. Denique, quod admirationem habet, non
 rex modo, sed etiam *כהן* Sacerdos futurus erat:
 qui, sacrificio corporis rite perpetrato, cum re-
 gia auctoritate ad intimam Dei amicitiam admit-
 teretur, ut alterum sacerdotis munus quoque
 usurparet, deprecando pro peculio suo; non
 stans, in modum supplicum, sed *sedens in solio*,
 ut valens precibus, neque ad repetenda sacra re-
 diturus; & pontificali corona ornatus, quam ad-
 umbraverat *cæruleum diadema Aharonis*, aurea præ-
 fulgens lamina, de quo legere est *Exod.* XXVIII:
 36-38. & apud *Josephum*, qui insigne illud sacrum
 coronam *Sacerdotii* alicubi appellat. Ex quibus o-
 mnibus clarum est, oraculum haud perplexabiliter
 canere amplissimos honores, quibus Messias ab
 Patre post mirabilem partum, peracto laborum

cursu, foret excipiendus, visuique mortalibus
præbendus, tamquam *Rex ac Pontifex*, cetera im-
peria præeminens, omnesque principes alios de-
core, potentia & majestate infinito supergrediens.
Hæc justa mentis æstimatione pensitata, mollien-
dis Israëlitarum animis sufficere poterant. Verum
ne ab iis, qui de Christi regno inquirebant, quid-
quam jure desideraretur, *vates* omnem regiminis
rationem normamque certissimam exponit, quum
infat: *Et consilium pacis erit inter ambos istos.* Quæ
verba nunc paullo uberior evolvere atque illumi-
nare animus est.

Verba ipsa IV. Primum omnium mentio sit
explican- πρᾶγμα *Consilii*. Quod vocabulum, si
tur α. Con- usum ejus in Sacris spectes, vel adhi-
filium. betur de integro cœtu hominum, qui
consiliandi causa super re majoris mo-
menti convenerunt, & ubi sententias suas dixere,
in explicitiorem eunt, ut valeat, atque in tem-
pore perficiatur, I. Reg. XII: 8. vel usurpatur
de proposito unius, ad quod non sine certa re,
omnibus probe expensis, descendit, loco pera-
gendum, Prov. XX: 5. *Consilium* itaque *Dei*,
de quo hic loci agi, preter ipsum sermonis con-
textum sequentia plane probabunt, nihil aliud est,
quam ejusdem voluntas de rebus extra se in om-
ni suo ordine ac decore præstituto tempore effi-
ciendis. Quippe *Deus singula efficit κατὰ τὸν βελὸν*
τῷ θελήματος αὐτῷ secundum *consilium voluntatis suae*,
Eph. I: 11. Ceterum inter Dei hominumque con-
silia permultum interest. *Homines*, prius quam
incipiant, deliberant, & in deliberando animum
huc atque illuc diu dividunt, ut ex multis, quod
optimum

optimum sibique accommodatissimum duxere, trahant. Id quod *sapientia* ac *virium* in iis defec-
tum arguit. Nam si in capiendis consiliis necessa-
ria nobis adesset *sapientia*, non tam diversi agita-
remur, neque ab hac cogitatione aversi, ad ali-
as atque alias nos conferremus. Et quamvis viri
consilio pleni celeriter quæ opus sunt reperiunt,
non tamen eadem æque facile repræsentant, quia
viribus deficiuntur. Qui *Deum* in hisce hominum
similem esse putant, næ illi magnum, immo in-
gentem errant errorem. Deo enim tam altus in-
tellectus, ut non egeat, sed abundet consilio,
Ezaj. XL: 13. tamquam μόνος σοφὸς *solus sapientia*
validus *I. Tim.* I: 17. ac proinde non in diversa
versatur variis cogitationibus, se invicem conse-
quentibus, sed unico & individuo actu cuncta
decernit & vult. Nec quidquam ei infectum:
quæ consuluit & intendit, ad exitum deducere
& effecta dare potest. Facit enim *omnia quæ vult*,
Ps. CXV: 3. & voluntati ejus nemo resistet, *Rom.*
IX: 19. hinc cum *consilio* *Dei* conjungitur ejus-
dem χειρ manū, *Act. IV*: 28. Sed alia se offert
ratio, cur decernens *Dei* voluntas *consilii* nomine
veniat. Nam quemadmodum *consilio*, non im-
petu agere: nihil nisi considerate ac *consulto* face-
re: animo omnia ante circumspicere, quam ad
effectum consiliorum pervenire; id semper sapi-
entis est habitum: Ita *Dei consilia* sunt meditata,
id est, circumspicte, sapienter ac decore, non
vi naturæ, sed liberrima voluntatis determinatio-
ne ab summo omnium provisore inita, quæ ex
omni parte divinam, id est, infinitam sapienti-
am produnt. Quo S. Codex nos dicit, quum
memorat חַיְוָת הַחַזְקָה *consilium* ab *Jehova* *consul-*

tatum super terrarum orbe, *Esaï. XIV: 26.* & βελην
 ὠρισμέννον consilium definitum, *Act. II: 23.* Adde
 sis, consilium Deo etiam tribui propterea quod
 plures sunt qui capiunt, nempe SS. Τριάδος per
 sonæ. Qua de re exemplo adsumo id quod fa
 ctum erat, quum inibi esset ut conderetur homo,
Gen. I: 26. & quod jam jamque dicetur de duo
 bus, quibus consilium initum non de qualibet re,
 sed de optima rerum, pace.

¶. Pacis. V. Pacis enim consilium dicitur; quod
 eo spectat, ut pax exuta reconcilietur,
 vel facta conservetur. Inter quos autem pax fit,
 inter eos graves intercessisse inimicitiias, necesse
 est. Unde manifesto sequitur, ut vates non lo
 quatur de pace, quæ post exercitas simultates in
 ter Deitatis personas firmata sit; quandoquidem
 illæ, uti natura, sic etiam voluntate *et unum*,
I. Joa. V: 7. nunquam secum invicem in simul
 tate esse possunt: sed de pace constituenda inter
 Deum & homines. Qui illius voluntatem ab se alien
 parunt, quum ruptis divinæ legis vinculis, bel
 lum ei facerent, tamquam hostes sempiterni, *Rom.*
V: 10. a quibus pro intaminata sanctitate sua
 adeo abhorret, ut oculi sui eos ferre non possint,
Hab. I: 13. Nihilo secius, quo misericordia
 æque ac justitia sua notior testatorque esset consilia
 pacis sumpsit, perficiendæ non cum universo
 humano genere: statim enim ut Adam a sedere
 divino descivit, prædictum erat, fore ut multi
 palam hostem induerent, & sub Serpentis auspiciis
 ductuque castra adversa ponerent, *Gen. III: 15.*
 sed cum bene magna manu, ex toto exercitu li
 berrime delecta. Cum his in gratiam redire statuit

per

per Filium suum , internuntium firmatoremque pacis , II. Cor. V : 18, 19. quem qui ut arcem Jehovah vera mentis persuasione prehendit , sine ulla dubitatione pacem cum Jehovah init , Esaj. XXVII : 5. Sancti vero vates , totiens tam magnifice de pace ora solventes , ut plurimum illam intelligunt pacem , quæ Novo Fœderi propria est : componendam stante templo altero ab eo , qui templi istius dignitatem præsentia sua immensum esset aucturus , Hagg. II : 9. quæque ob insignem excellentiam eximie pax vocatur , Rom. XIV : 17. pax multa si-
ve magna , Ps. LXXII : 7. Esaj. LIV : 13. pax Dei , captum omnem transcendens , Phil. IV : 7. pax Jesu , Joa. XIV : 27. secundum quam benignissimum Nu-
men , pretioso Filii sanguine propitiatum , simul peccata electis ita ignoscit , ut omnem eorum memori-
am deponat oblitteretque , Esaj. XLIII : 25. Jer.
XXXI : 34. quo fit , ut mens non amplius in-
quies agat , sed timore vacua , usura solidi gaudii
fruatur , Rom. V : 1. I. Joa. III : 21. simul geni-
tes , a purioribus sacris adhuc remotas , ita man-
suefacit , ut , positis odiis , in Christi castra con-
cedant , dextrisque dextras simpliciter & candide
jungant , Esaj. II : 4. propterea quod lege libertatis
edoctæ , Troas Tyriosque nullo discrimine agi ,
sed dominum omnibus eundem , qui amoris sui divi-
tias offerat cunctis invocantibus se , Rom. X : 12. Eph.
II : 13. sqq. Ex quibus consequum ; adversus ho-
stium cum externorum , tum internorum machi-
namenta Deo ita esse provisum , ut pax parta piis-
que divinitus concessa nunquam usque adeo tur-
betur , quin ex ipsis turbis majus semper com-
modum veritatis propugnatoribus veniat ; & ut
aunc illi , ultro arma inferendo , composita mo-
vere ,

vere, nunc isti subdola amicitia sanctorum cœtus miscere adlaborent, in cassum agere: quin obstinato animo semet ire perditum, dum sanctis, qui labores spe otii sustentare consueverunt, gloriam decusque conciliant. Denique ad pacem omnia pertinere, bellumque sæpe contra perduelles, turbidos, discordiosos tractari, ut immota reddatur pax. Quid est, si hoc non est pacis consilia inire? quæ alibi videas appellata fœdus pacis, Esaj. LIV: 10.

γ. Inter VI. Hoc pacis consilium sumptum inter
duos ambo istos. Quinam sint isti ambo, quæ-
istos. runt interpretes, ut de re septuosa plane
& perplexabili: super qua qui diversas
noscere sententias cupit, ipsos commentatores,
qui nunc ad manum non sunt, adeat. Nos ve-
hementer miramur, cur quærant, tantamque si-
bi crucem figant: ea maxime de cauſa, quod
plana omnia & prona videntur. Certum namque
habeo, voculam ρω in fine adjunctam non per-
mittere, ut longius eamus, sed intra vaticinium
subsistentes, non alios cogitemus intelligi, quam
de quibus modo mentio facta fuerat. Atqui to-
tum oraculum sub nomine ρω loquitur Messi-
am, Dei Filium; & ab eo distinguit Jehovam, cu-
jus ille templum effet ædificaturus. Unde cuique fa-
cile est judicare, duo istos esse cum Jehovam, Pa-
trem videlicet; tum Messiam. Jehova enim non
se inferiores, sed præcellentia & sapientia pares in
consilium adhibet, Esaj. XL: 13. ac proin, uti Fi-
lium, sibi per omnia parissimum, cœlestis regni
participem sumpfit, Ps. II: 6. sic eundem omnium
consiliorum arbitrum esse voluit, tamquam vi-
rum

rum sibi proximum, & quasi intimum consiliarium,
qui semper foret a latere, Zach. XIII: 7. quique
propterea ρυν consiliarius audit, Esaj. IX: 6. &
sapientia Dei, Matth. XI: 19. Luc. XI: 49. Hi
bini conditiones pacis tractant; alter, ut Deus pacis,
Hebr. XIII: 20. alter, ut Princeps pacis, Esaj. IX:
6. alter, ut offerens regiam, id est, Deo dignam
auctoritatem, placidamque regni per omnes re-
rūm vices administrationem promittens, si electi
homines, pretio dato, in libertatem adsererentur,
& jura regnandi, sublata inimicitiae causa, de-
core adquirerentur, Esaj. LIII: 10. alter vero,
ut latam conditionem prompte accipiens, Ps.
XL: 9. quo ex pacto & convento terrarum or-
bis imperium caperet, cunctisque gentibus gloriose
moderaretur, Ps. II: 8. proposito sibi cum digni-
tate otio præstabili.

d. Erit.
Ubi dif-
ficultas
propo-
nitut.

VII. Verum, licet visum sit quomodo se istud *pacis consilium* habeat, scire tamen adhuc libet, ecquando sumptum, su-mendumve esset. Nam ad oraculi sen-sum investigandum, id re vera caput es-se videtur. Sanctus itaque vates, nos hac de re edocaturus: *consilium, inquit, pacis* τύπη *erit inter duo istos.* Hic incidimus in nodum difficilem: quem secare in proclivi magis est, quam solvere. Contextum enim positumque verborum recte attendenti, videri omnino posset, salubre illud *consilium* ab Patre & Filio tum demum capiendum, quum Filius maximis laboribus pro humani generis salute perfunctus, ceu Rex ac Pontifex rerum esset adeptus. At apud omnes, qui patenti rationis revelationisque via

ad verum pergunt, in confessio est, *consilia Dei* non pridiana esse, aut noviter cogitata; sed æterna, quippe inita prius quam quidquam extra Deum exsisteret. Ita ut qui originem eorum ad definitum quoddam tempus redigere adgrediatur, laborem suum profundat ac perdat. Qui ergo fit, ut vates, postea quam omnes Messiae hongres, quibus a Patre erat ornandus, percensuisse, tum demum dicat *consilium pacis* inter ambos fore?

Absurdus ejus tollendæ modus refutatur.

VIII. Nullo se negotio expediunt, qui negata consiliorum divinorum æternitate, temporaria ac horaria Deo consilia tribuere non verecundantur; quæ ex tempore & rerum copia trahat, & pro brevibus rerum humanarum vicibus variet. Quam facile enim dictu, de pace constituta non prius a Deo deliberatum, quam Christo in sceptris reposito? Verum enimvero parum honora ac magnifica insubidi isti homines de Deo sentiunt. Tamquam, omnium ignarus, operum suorum esset spectator, ut ex diurna nocturnaque eorum contemplatione majorem sapientiæ, ac scientiæ modum sibi compararet, seque ad mutabilem hominum voluntatem conformaret, patratus se ipse retexere, ac in omnes versare partes. Contra insulsa isthæc commenta, quæ rationem evertunt, Scriptura S. præscriptum: quippe quæ explicite tradit, supremi Numinis cogitata ab mortalium cogitatis toto differre cælo, Esaj. LV: 8. omnia opera Deo a seculo ita esse cognita ac judicata, ut ab eorum exsequitione abduci nequeat, Act. XV: 18. & in Christo, ante jacta mundi fundamenta præcognito,

cognito, I. Petr. I: 20. electos, qui ad eum pertin-
ent, Eph. I: 4. immo cunctam iis gratiam simul
in Christo ante tempora secularia datam esse, II. Tim.
I: 9.

Alix tol-
lendi ra-
tiones
modeste

IX. Alii aliam, eamque tutiorem in-
sistunt viam; dicendo, copulam, per
nam exponi, & futurum ηντην stylo
Hebræis familiari in præterito tempore
refutantur. verti posse, hoc modo: nam consilium
pacis fuit inter duos istos. Ita ut æter-
num pacis consilium considerandum foret ceu fun-
damentum & ratio, qua Pater permotus, quæsi-
tissimis Filium honoribus adficeret: ideo Filium
regiæ ac pontificalis dignitatis insignia consegu-
turum, quod illi cum Patre in æterna pactione
id fuerit conventum. Expositio certe divinis con-
siliis ac revelationibus oppido consentanea: dum
ne dictio natura obstat. Quamvis enim data
copulæ significatio forte posset admitti: tempo-
rum tamen inversio, ut rem loquar meram, mi-
hi non probatur, neque accipiendam esse existi-
mavero, nisi ubi manifesta adsunt indicia, aut
sine hoc adjumento commoda interpretatio inve-
niri nequit. In vaticinio autem nostro inversio-
nem hanc omni nota esse destitutam, tam clarum
est, quam cœlum esse, quum sudum est, solet.
Igitur alii, animadvertisentes non præteritum, sed
futurum quid dictione vatis designari, non tam
de æterno pacis consilio, quam de ejusdem post Chri-
sti οὐλωτιν exsequutione intelligunt, & vim voca-
bulorum retinendo, sic exponunt: & consilium
pacis erit, id est, videbitur, declarabitur, publice
conficietur inter ambo istos. Qui hanc interpre-
tandi

tandi viam ingrediuntur, proxime, fateor, a vero absunt: nec est quod dubitationem adferat mihi, nisi quod postrema dictionis vocabula *inter ambos istos* cum expositione verbi תְּהִימָה erit minus eleganter cohætere video. Nam dicat quispiam: quid hoc sibi vult? consilium pacis videbitur & manifestabitur *inter ambo istos*. Nonne exsequitio consilii istius sit *inter homines*? nonne illa videnda ab hominibus, manifestanda inter eos? atqui vatem docere, consilium illud repræsentandum atque manifestandum *inter Patrem & Filium*?

Nostra sententia breviter exposuitur.

X. Ut ergo perveniam quo maxime volo, meo quidem judicio, omnia in expedito erunt, si vocabuli בַּנִּים significatio recte attendatur. Quippe quod non semper *inter* denotat, sed sæpe numero *loco* exprimendo inservit, uti Esaj. XLIV: 4. Cant. II: 2, 3. eique inter duos terminos medio, Deut. I: 1. Jos. XVIII: 11. Deut. V: 5. Hoc si observes, simul autem cogites, per *consilium pacis* intelligi *libram*, in quem consilia illa Dei ad pacem spectantia fuere veluti congregata, sive, ut cum Tranquillo Vespas. 8. loquar, instrumentum imperii, quo *omnia* divini senatus consulta ac scita de pace, Christo rerum potente ubique gentium promulganda, variisque privilegiis selecto populo per omnes ætates concedendis, continerentur; dictio vatis haud ineleganter ita poterit transferri: & instrumentum *consilii pacis* erit in medio amborum istorum positum sive conlocatum. Hanc interpretationem (ad quam me non diffiteor invitatum fuisse, lectis quæ eximium illud Theologorum decus, Salomon van Til, *Introduct.*

*ad Script. prophet. Part. III. Cap. V. §. 14. egregie
disserit) nunc paucis confirmatum atque illustra-
tum imus.*

XI. Et primum quidem omnium se commendat *ex ipso verborum contextu*. *Messias*, ubi *ex sub se germinavit*, corpus sibi formando humanum, splendissimum *Jehovæ templum* referens, & in eo functus est omnia illa munera, quorum explendorum gratia corporis templum excitaverat: dignus habitus est, qui ad maximos honores Patris voluntate produceretur, hocque magnifico apparatu ora mortalium animosque adverteret. Quare regnum non precarium neque fiduciarium, sed ex pactione sibi debitum, ingressus, non tantum regium ornatum nomenque, pontificali dignitati adnexum, sumpsit; sed etiam *in regali Patris solio resedit*, *dextram ejus continere* jussus, *Pf. CX: i.* quid ergo apertius, quam *duos hos*, Patrem Filiumque, ante oculos nobis proponi ut *in uno eodemque residentes solio*; quo supremum dominatum pari auctoritate tenerent, & mira consensione in perpetuum agitarent? Ut vero reges ac principes, qui æqui boni famam pertunt, sapientiæque laude florere cupiunt, leges nonnullas ac instituta a majoribus tradita sancte observant, ut iis ad rem publicam feliciter & prudenter administrandam utantur ceu cynosura. Certe qui in Judaico populo regiam obtinebat dignitatem, ex Dei mandato *legem suapte manu in volumen transferre* debebat, quod domi forisque individuus ei comes esset; unde sciret, legem hanc non negligendam sibi, aut pro arbitratu frangendam

dam solvendamque, sed magnopere servandam esse in omnibus quæ sive publicæ, sive privatæ rei caussa erat gesturus, *Deut. XVII: 18-20.* hinc etiam *regi*, regni gubernaculis admovendo, non modo regium insigne imponebatur, sed *exemplum quoque legis in manus tradebatur*, quam lectitaret ac custodiret, ut viæ ducem rectoremque unicūm, in quem ceu ἀγελον oculos continenter intenderet, *II. Reg. XI: 12.* Haud absimili ratione Pater & Filius, eodem locali solio, quasi in illustri imagine conspiciuntur a nobis, ut coram habentes *librum præclarissime scriptum*, qui *consilium pacis* ante principium temporis initum plenissime complectitur, seu omnem regni gubernandi modum disertim finit. Qui *liber medio inter binos hos loco positus*, utriusque defigit oculos, ut adsiduo inspiciant, & quotiens opus, regendi rationem olim placitam inde expromant. Scilicet, *Filius postulando* a Patre, quem dextra adsidet, ut sibi liceat exsequi, quæ tamquam sibi gloria, iis qui parent, fructuosa, olim deliberata fuere, atque in librum accuratissime conlata: *Pater autem, facilem ei ad sensum dando*, propterea quod, libro inspecto, non depositulare eum quidquam intelligit, nisi seque animoque cœlesti dignum, & dum cum eo conventum.

¶ Ex conve-
nientia cum
S. Codice.

XII. Neque vero ratione caret, quod *consilium pacis* explicamus per *librum consilii pacis*. Scriptoribus enim sacris non infrequens est, *consilia* ac *decreta Dei* de rebus futuris, in primis ad hominem pertinentibus, *libri nomine nuncupare*; ut *constantiam eorum* & *ἀμείδειον* nos doceant. Solent

lent namque homines, oblivioni obluctantes, res
 memoria dignas litteris mandare, & quæ decre-
 vere, chartis committere, tamquam fidissimis
 custodibus. Ad Deum id transfertur; ut apud
 animum nobis proponamus, consilia meditata
 animo ejus insedisse penitus, eorumque memori-
 am tam firmiter retineri, quam si in unum con-
 gesta volumen oculis jugiter observarentur: ac
 proin eum, ubi statutum quid de re habeat, in-
 sistere destinatis, & per omnes partes ita effecta
 dare quemadmodum conceperit. Prima *libri di-*
vini mentio fit *Exod XXXII: 32.* ubi commode
 videtur intelligi posse voluntas Dei, qua disposita
 de hereditate terræ Canaan, ab Abramidis adeun-
 da, exheredatis obsequii ignaris. Ceteri Scripto-
 res Mosem imitati, *librum Deo* tribuunt, quum
 intelligi volunt *decreta* ejus *de hominibus*, *Ps.*
CXXXIX: 16. præsertim de eorum vel æterna
 salute, vel æterna pernicie; ubi priora *liber vitæ*,
Ps. LXIX: 29. *Phil. IV: 3.* *Apoc. XXII: 19.* *li-*
ber vitæ agni, *Apoc. XIII: 8.* *XXI: 27.* & excel-
 lenter *liber*, *Dan. XII: 1.* illi autem, quibus sa-
 dus a Deo destinata, *sanceti*, *scripti ad vitam*, *Esaj.*
IV: 3. eorumque *nomina scripta in cœlis*, *Luc. X:*
20. sicut e contrario *impii*, *olim ad judicium scripti*,
Jud. comm. 4. dicuntur. Diligenter vero velim no-
 tari, quod magis huc quadrat, hæc & alia diei
scripta coram Jehova, *coram facie ejus*, *Esaj. LXV: 6.* *in libro memoriae seu memoriali*, *Mal. III: 16.* ut crederes, *librum* *perpetuo* ante oculos Dei es-
 se: quem si inspexerit, destinata in tempore ex-
 sequi. Quibus omnibus collectis recteque per-
 pensis, geminissima esse duco quæ oraculo no-
 stro vidimus reclusa. Sed *agitor nostram* forsitan

aliquis ea potissimum caussa in dubium devocet, quod vates nullam libri mentionem facit: quum ea quæ modo adlegavimus, nomen hoc ~~disceperint~~ præferant. Verum exiguum hæc res dubitationem habet. Quid enim cum sacris, tum exoticas scriptoribus familiarius, quam rem aliud quid continentem appellare nomine rei contentæ, librum sive volumen nomine materiæ, quam liber iste complectitur? Exempla passim sunt obvia; vide sis Exod. XL: 20. II. Reg. XI: 12. II. Chron. XXXI: 3 Nehem. VIII: 2 plura, quod in promptu sint, transeo.

y. Præcipue XIII. Maximum rei pondus addit, ex Apoc. V. quod videmus, Joannem, illustrissimum Novi Fœderis Vatem, rem eamdem Apoc. V. tot. claris depinge-
ge verbis, ut nullam relinquat dubitationem, ni-
si in eorum animis qui soli aperta non vident. Tu
vide, & veris rem pretiis æstima. Oculis Joani-
nis offertur *quidam sedens in solio*: quem nemo du-
bitat Deum Patrem esse, summum mundi & Ec-
clesiae rectorem; eo maxime, quod in sequenti
visi repræsentatione distinguitur ab agno. Hic ex-
hibetur ei ut *dextra tenens librum, septem sigillis ob-*
signatum. Quo divina contineri decreta, tamquam
in sapientissima & incomprehensibili Dei memoria
conservata, de Ecclesia per omnes temporum de-
cursus inter multimodas rerum vicissitudines gu-
bernanda; tanto adfirmem lubentius, quod sub-
actissimi & in recludendis Vatum oraculis exerci-
tatiissimi ingenii Viris pridem ita visum est. In
proximo solii ambitu stat agnus, frequenti cœlestium
Satellitum globo stipatus: in quo recte videmus
Chri-

Christum, hoc nomine cum passim in codice Sacro, tum præsertim in Joannis libris notissimum: Christum scilicet ad summam enectum gloriam, regnique a Patre sibi destinati consortem. Quamquam enim hoc viso imago ejus exhibeatur non occupantis augustum illud Patris solium, (id quod alibi clarius ostensum cap. III: 21.) sed stans: observandum tamen est, & stare eum solio proximum, & omnes illi honores tribui, quos cecinerat Vates noster. *Pontificales*: quia Joanni visus est ut agnus, *instar victimæ maculatus*: piaculari sacrificio delecti ex hominibus redempti Deo sacrati que fuere: & quia visus est ut stans, perinde ac in perpetuum sacrum faceret. *Regios*: quia regis de ipso prædicantur virtutes, potentia & prudentia, duo validissima regnorum fulcra. *Potentia*: nam septem habet cornua, quibus in terram arietat, quos sibi adversos animi cognovit, factisque compertum habet. *Prudentia*: nam septem habet oculos, quibus providet, uti ne quid damni parentes faciant, sed privilegiis concessis otiose fruantur. Unde sub finem capitis majestas ipsius & excellētia ab Angelis & omnibus rebus conditis divinis celebratur laudibus, & quam potest demississime atque subjectissime exponitur, coliturque, junctis in ode Patris & Filii nominibus. Hic autem agnus, propter Patrem adsistens, librum, cui nemo erat aperiendo, ex dextra ipsius accipit, acceptumque resignat; quod est signum, Christum decreta Dei cum interpretari & publice declarare, tum ipso actu per exsequutionem sistere & repræsentare. Quæ si quis animo pensaret, sic statuet, ab Ioanne explicatus tradi, quæ Zacharias concisius & paullo obscurius proposuerat.

Summa di-
ctorum con-
ficitur.

XIV. Oraculi itaque sensus, ut in
pauca rem conferam, hic est: *Patrem
cum Filio, postquam gravissimis adfl-
ctionibus esset defunctus, omnem reg-
nandi judicandique dignitatem communicare, ac pro-
inde ambos in uno eodemque regali confidere solio, par-
tum regnum auctoritate pari administraturos; me-
dio inter utrumque loco positum esse consiliorum æter-
norum librum, quo Filium inspecto, ex conse-
sione Patris civitatem sanctam ita temperare, ut
læta pacem agit, plenaque spei bonæ exspectet,
quum in maximis fluitat tempestatibus.*

Implementum
vaticinii addi-
tur.

XV. Nunc reliquum esse vide-
tur, ut brevi (nam fusiū hæc per-
sequi nunc non est instituti nostri)
probemus, fidem existisse oraculo.
*Jesus, decursō obedientiæ & παθημάτων stadio,
in cælum sublatus est, Luc. XXIV: 51. ut & Sa-
cerdos, & Regis munia explendo, pacem acerrime
exspectatam promulgaret. Id quod factum per
augustissimos illos persuasionis nostræ XII viros, qui ca-
duceatorum instar pacem obtulere cunctis ab reg-
no Christi adhuc alienis, præferentes Evangelium
pacis, Rom. X: 15. eo successu, ut & montes, &
colles pacem acciperent ferrentque, Ps. LXXII: 3.
hostes autem infensi acerbissimas cœlesti Regi pœ-
nas persolverent. Iudei namque, Romanorum ar-
mis prope ad internacionem redacti, in exem-
plum iverunt. Et Imperatores Romani, qui summa
ope nitebantur, ut gentem nomenque Christiano-
rum ab stirpe everterent, Constantino ad caus-
sam piorum adjuncto, ita fuerunt attriti conci-
sique, ut cum omnibus suis auxiliis victoriam
opes-*

opesque concederent. Exin Christicolis, pace incuriosis, & in lasciviam prolapsis, *novus* quidem supervenit *hostis*, eo ad nocendum validior, quod internus, fraudibus involutus, specie bonarum artium falsus, & amicitiae fallax. Sed qui peculiū suum curae cordique habet, cum suorum animis in medio certaminis ardore multum semper addidit, ut calamitates fortiter perferrent, & oppugnatorum potentiam plus simplici vice percuterent; tum conjuratas tot barbarorum seculorum procellas, & plus quam decumanos ignorantiæ fluctus ita sedavit dispulitque, ut regna, nationes, civitates bene multæ, ejurata superstitione, veritati se darent. Post hæc tempora ad nostram memoriam varia Ecclesiæ fortuna; immo, ut vere dicam, magis magisque improspera & inclinata. Bonum tamen ea de re animatum omnes habere volo: quandoquidem cura ejus jam pridem apud Jesum excubat. Memori ille mente tenet, quæ ad firmam immotamque pacem spectantia, tempore decrevit exsequi. Sane incidat Ecclesia in maximas ærumnas, & tantis acerbitatibus dilaceretur, ut hostes victoriam conclament, tamquam transactum de ea esset, *Deut.* XXXII: 36. eo miseriarum veniat, ut speciem reddat agri omnino vacuefacti, & ab incolis peccoribusque destituti, ac frugum egentis, *Hab.* III: 17. suis tamen opibus revalescat, & sub Christi tegmine confidens, quod reliquum temporis, in otio deget, rebus florentissimis, *Hof.* XIV: 5-7. de quo nos non dubitare sinunt tot illustria vaticinia, pacem ultimorum temporum canentia. Interea loci partium nostrarum est, audire quæ *Jehova loquitur*, & oraculorum ejus sensum sedulo scrutari:

tum cognito, nihil eum nisi pacem dissenseret, san-
cta genti destinatam, Ps. LXXXV: 9. lætissimi
eventus exspectatione, ex divinorum consiliorum
contemplatione, magnam & perpetuam capiemus
voluptatem.

F I N I S.



DIA-

(*) DIALOGUS

de
 intempestivis Disputationibus &
 catholico Controversiarum in
 Caussa Religionis
 Judice &c.

IN suburbana villa, quam Limagus adluit, deambularant nuper Eleutherius & Doxasta, qui amicitiam condiscipulatus tempore contractam ad hunc usque diem continuavere, morientem diem, quæ laudatissima eorum consuetudo, amicabili confabulatione transacturi. Sermones, qui inter eos cæsi fuerunt, illorum communicatu & fideliter & breviter referam. Vos vacivas commodetis tantisper aures vehementer rogo.

Doxasta colloquendi initium faciens, varias, quibus orbis christianus turbatur atque dilaceratur, sectas novasque lites recensendo, afflictam Ecclesiæ conditionem multum lamentabatur;

Z 5

Cum

(*) Praclarum huncce ac festivum Dialogum quondam lusit Vener. superioris Dissertationis Auctor, eumdemque in Societate Amicorum φιλομαθευτῶν recitavit. Ea autem nunc vivimus tempora; in quibus nec intempestivum nec supervacaneum est de Libertatis sentiendi usu & abusu disserere.

Cum tandem Eleutherius: ita quidem est, infit, mi Doxaſta, quibus pacis ſtudium Magistri ſui exemplo & praecepto quam maxime commen-datum eſſe debebat, eos discordia & hostilibus odiis omnes alios cœtus anteire eheu! videmus. Sed querelis nihil proficimus; nec quisquam eſt, qui tanto malo obviam ire poſſit, priusquam fontes, ex quibus ſcaturit, diligenter investigaverit. Caufa morbi reperta curatio longe erit facilior.

Doxaſt. Quos tu mali in dies invalescentis fontes, quos morbi tantum non letalis cauſas repe-rifiſti?

Eleuth. Multæ ſunt ac variæ; omnes enumera-re, longum foret. Unam tantum, alteramve proferam, quas ego potiſſimas eſſe duco. Tu æquus ſis arbiter.

Doxaſt. Rem feriam nos agere intelligo. Mit-tamus longos circuitus, & quos tu dixti fontes, quantum per tempus licebit, cordate inspicia-mus.

Eleuth. Hoc primum omnium obſervari per-velim, plerosque mortalium diputationum nimium eſſe amantes. Quare fit, ut, ſi quem audia-mus, qui non nobiscum ſentit, quantocyuſ ad di-micandum provolemus, & bellum ei indicamuſ nullos habiturum triumphos.

Doxaſt. Nonne vero defendenda eſt Veritas, cui primis vitæ noſtræ diebus Sacra-mentum diximus? Caritas curæ cordique nobis ſit, ſed ea ta-men conditione, ne quid inde veritas detrimenti capiat.

Eleuth.

Eleuth. Quæ tu dicis, recte se habent. Sed quotidiana experientia testatur, nullum usquam gentium disputatorem esse, qui non veritatis protectionem caußetur, specioso hoc titulo tum sibi tum aliis imponens. Veritati plurimum debemus, vitam, & quid non? sed error, sed falsa persuasorum veritas dici meretur? Et si de iis capitibus acerbe nonnumquam & hostiliter contendamus, quæ ad pietatem nihil omnino conferunt, quæque utut sint, genuinum amorem adversus Deum ac debitum erga homines officium nec impediunt nec promovent, quis nos in ejus schola eductos reatur, qui sectatoribus suis tantopere pacem commendavit.

Doxast. At enim unaquæque veritas ita nobis cara amicaque esse debet, ut nullo modo eam patiamur deteri.

Eleuth. Ludunt homines Veritatis vocabulo & luduntur. Scepissime opinio est a parentibus, magistris, aliisve hausta, quam illi veritatem dicunt. Num vero sanæ mentis est, qui pro opinione tamquam pro aris pugnat, & passim ingentes turbas ciet? sed inter veritates etiam plurimum interest. Sunt, sine quibus nec pietas coli, nec beata immortalitas impetrari potest; sunt deinde, quæ sive non cognitæ, sive hoc aliove modo intellectæ hominem neque in virtutum stadio morantur, neque a superiorum amicitia ac favore recludunt. Illæ caste pureque servantor; propter has si bella gerantur, toti christianæ religioni turpis inuritur macula, & fides, caritas, Dei timor, innocentia, modestia, maxima Christianorum ornamenta exulatum abire coguntur.

Doxast.

Doxast. Sed magnæ difficultatis est, pretium singulis veritatibus statuere, & primarias a secundariis distinguere; in hoc ipso maximum passim dissensum deprehendas.

Eleuth. Non diffiteor; verum tolli dissensus posset, si omnibus secundum planam regulam, de cuius momento inter omnes convenit, incedere, sententiamque ferre animus esset.

Doxast. Quænam hæc sit regula, audire gestio.

Eleuth. Accipe: Quæ ipse Deus in Codice suo tamquam scitu, creditu & factu necessaria claris verbis describit, sine dubio ad primas veritates pertinent; quæ contra nullum necessitatis indicium adjunctum habent, secundariis adnumeranda sunt. Certissimæ vero necessitatis notæ sunt, si quid ita proponitur, ut cognitum, creditum, factum ad summi boni fructionem adducat; non cognitum, non creditum, non factum æternæ pœnæ obnoxium reddat.

Doxast. Agnosco evidentiam regulæ: sed quid inde elicis?

Eleuth. Hac regula observata, operam dabis, ut in necessariis consentiamus, in minus necessariis vero dissensum qualemcumque humanitatis pacisque caussâ tolerabimus, nec prærapido fervore nos ad altercandum abripi sinemus.

Doxast. Vereor, ut talem tantumque fructum ex canone tuo percipias: nam magni momenti veritates in Codice sacro paullulum obscurius & parcus sunt propositæ, & quas tu minus necessarias

rias dices, cum magis necessariis ita sunt connessæ, ut vix divelli queant.

Eleuth. Inanes prætextus narras. 1. Nihil prorsus omnium eorum, ex quibus æterna salus pendet, obscure præcepit Deus; hoc a sapientia & φιλαρθρωπίᾳ ejus est alienissimum. Parabiles scientiæ sunt utiles. Divina sapientia, rerum nunc potens, id est, Jesus sophorum Deus, per omnium ora publice incedit, non flamines duntaxat invitans sacros, sed septuennes, sed simplices feminas, plebemque proletariam. Commune fecit Deus, quod necessarium est, nec quempiam scire vult, quam quod sciendum est omnibus. 2. Si quæ parcius sunt proposita, cogitandum est, Deum hæc nos parce scire velle. Vecors est ardelio, qui sciri negata captitat, & contempsim præterit, quæ scienda sunt sibi. Optimus Maximus Deus jussa tulit, quæ saluti sunt satis. Mens retorta est, ac sui non compos, quæ plura aucupatur. 3. Ut indivulsus sit veritatum nexus, non tamen omnibus æque perspectus est. Paucis tam lyncei sunt oculi, ut intimos Dei recessus pervideant; quo propius mens mea ad supremi Numinis contemplationem accedit, eo magis cœlesti fulgore circumfusa tremit. Sufficiat primas recepisse veritates; in cœteris si quis erraverit, misericordem habebit Deum, licet superciliosi homines, quos arrogans amor sui obsidet, inclementius statuant.

Doxast. Nolim tamen ego erroribus patrocinari; evellendos potius existimo, ut diæ messi noxiōs.

Eleuth. Sed deputemus rectiore rem via. Errare tibi videtur, qui formulis auctoritate, vi, minisque obtrusis contraria sentit. Noli, quæsto te, præcipitare judicium. Lis adhuc sub judge est, uter erret. Non Dei fallere nescii, sed hominum definitiones, inventiones, ac loquendi formulæ sunt.

Doxast. Quid vero, ubi certum & indubitatum est, errare alterum?

Eleuth. O innocens error veniam meretur æquiori jure, quam cruenta veritas. Hæc immane quantum invisor est pacis Deo, quam quivis error, quem proba mens prætegit. Non peccat error: nam quis, cui sanum est sinciput, errabit volens? Peccat voluntas. Lex voluntati data. Non penes homines est, verum a falso internoscere, quotiescumque volunt. Cœleste donum est Veritas. An vero supremus orbis arbiter demetet, quod ipse non obsevit? aut postulabit jure quod minus dedit? Volve & revolve sacrum Veteris Novique Federis Codicem; damnatur error uspiam, an flagrans nefas? Errare quam proni sumus singuli! Varia, instabilis, tarda, ac hebes est mens nostra. Quisquis igitur erroribus, sibi quoque severus est. Erroris expers ille vitam transigit, qui semper suspenso gradu anceps procedit, ipse sibi suspectus, semperque inter opacos anfractus manu tenet cœlestis verbi fila, nihilque certum, sive credendum putat, quam quod clara voce ratum fecit Deus. Quæ dum dico, duo alii sectarum, discordiarum, litiumque, quibus christianus orbis discerpitur, fontes in mentem mihi veniunt.

Doxast.

Doxast. Aperi alterutrum.

Eleuth. Apertio facilis est, obstructio pæne desperata. In omnibus Sectis non paucos reperias, qui superbia tumentes aperta, plana, trita fastidiunt, & laborioso conatu nodos in scirpo quærunt inenodabiles; in quo muscarum mihi similes videntur, quæ asperis semper locis adhærent, & polita transeunt.

Doxast. Num ergo male agere putas, qui ingenii acumen ad sublimia intelligenda intendunt?

Eleuth. Male sine dubio agunt, si imaginosis de Deo mysteriis ita sunt districti, ut cœtera, si ne quibus vera religio consistere nequit, negligant. Male agunt, si viam cœlo, gigantum vecordi more, parantes, anxie disquirunt, quid egerit orbis Artifex, priusquam mundum conderet, quidve agat, quem tunc demum intelligemus, cum terreo carcere mens emigraverit. Male, immo stolidi agunt, si angusto mentis sinu eum definire adlaborant, quem non æther ipse complecti queat. Male agunt, & omne fas & jus, sacramque abrumpunt, si eos, qui a sensu suo dissentiunt, & obscura claris posthabent, ferre recusant, si commenta sua dictatoria auctoritate præscribunt, si inventiones feculentas, quas ipsi ex cogitavere, respuentes omnibus modis exagitant, si denique controversias de levioris momenti rebus ense terminant.

Doxast. Rigidum Catonem! Natura ita nobiscum comparatum est, ut altum sapere sudemus; plane alios tibi homines fingas necesse est, si obviis tantum delectari debeant.

Eleuth.

Eleuth. Detur hoc febricitanti insaniae mortali-
um, quod nescientes servare modum, nec medio-
critatis finibus comprimi, cuncta menti suae pa-
tere postulant. At lusus suos obtrudere aliis, &
definitionum formulas fingere, est ab omni æqui-
tate, & christianæ religionis genio recedere. Ac-
cedit præpostera illa, quæ in scholis hodie obti-
net, disputandi ratio, qua non, quod fieri de-
bebat, a notioribus principiis recto proges-
su ad obscuriores veritates penetramus, sed ex incogni-
tis, dubiis, ambiguis retrogrado errore ad notio-
ra conamur elabi. Quo fit, ut notiora quoque te-
nebris involvamus, & intelligendo intelligamus
merum nihil.

Doxast. Quid censorio penicillo tuo detergere,
quos notare velis, nondum adsequor.

Eleuth. Ejus rei exempla quam multa depre-
hendisse mihi videor, ex quibus nunc unum tibi
ostendisse sufficiat. Intellecta tibi, &, mi Doxa-
sta, scipiis deplorata, quæ multis retro annis in-
ter puriores Christiani Orbis sectas nimia conten-
tione agitatur, controversia de Decretis divinis;
ubi alii hunc, alii alium decretorum ordinem fin-
gunt, quasi Deo fuissent a consiliis, dissentientes
gravissimorum errorum accusant, & consequen-
tiarum (liceat scholastica hac voce uti) onerant
portentis. Ego vero quotiescumque hæc tacitus
mecum perpendo, vehementer doleo, cassas fru-
ge aridasque quæstiones, & luxuriantis ingenii ar-
gutias nunc christianis maximam contentionum
messiem serere. Miror, miseros homunciones
tantum tribuere sibi, ut ad ultimam æternitatem
regressi, Deum ad sui cerebri cogitata examinare,
eius-

ejusque decreta disponere tentent. Porro componi pestiferas illas rei christianæ lites, tollique disputationum serras posse existimo, si litigantes vel recisis obscuris quæstionibus, vel libertate in iis unicuique concessa, istis inter se acquiescerent, quæ clare ab ipso Deo revelata vident.

Doxast. Tu nimium pro libertate loqueris, & libertatis obtentu innumeris erroribus decumanam aperis portam.

Eleuth. Nequaquam. Pro ea loquor libertate, in quam suos adseruit Christus; & eos aversor, qui inauspicatum sibi moliuntur imperium in imperio. Deus Christum constituit regem, legislatorem, judicem nostrum; ei nomen dedimus, ei sacrati sumus; ille nos in hominum verba obnoxie jurare vetat. Non (quod calumniose in vulgus spargitur) qui modeste libertatem christianam defensant, errorum patroni, non isti litium auctores sunt, non istis quieta in pace turbæ sunt, vel in turbis quies.

Doxast. Quæ ergo cauſa motus tam vehementes concitat? quæ veritati adeo inimica est? quæ cestum caritatis rumpit? quæ vestem Christi scindit non sutilem?

Eleuth. Brevi dicam, et si vereor, te juxta cum aliis mihi propterea *ἀγέρεως* scripturum dicam. Pertinacia mentis scita tuendi, dissentientes non ferens, ac deputans errare, qui suis cum formulis parum consentiunt: Hæc hæreses & schismata mox crepat; hæc classicum canit; hæc suis opinionibus fœde serviens, servire cunctos cogit, ut nemo Deo liber, suique juris vitam agat; hæc vim ty-

rannicam sibi arrogat, servasque mentes torquet
ad nutum suum.

Doxast. Sed constringenda & coercenda sunt
luxuriantia ingenia, ne carceres, quos divina fixit
lex, audacter rumpant, seque aliosque pessum
dent.

Eleuth. Constringenda sunt a Deo, non ab ho-
minum placito. Deus homines, quanti sunt, si-
bi vult mancipari, non hominibus. Male per-
eant, qui divinos rumpunt carceres. Verum non
divini sunt carceres, quos imperiosi homines pro-
arbitraru circumscriptere suo; neque in Deum in-
jurii, qui aliorum inventa ponderant mentis state-
ra, amantque diffidere dogmatibus in humana of-
ficina culis.

Doxast. Quamnam ergo tu proximam compo-
nendarum litium viam esse putas?

Eleuth. Si amputentur accrementa rejectanea,
ut solum supersit quod necesse est omnibus.

Quæcumque non docere vult verbum Patris
Nescire, pars scientiæ est hic maxima;
Nihilque definire, quam quod finiit
Summus Magister, una definitio est.

Fert omne punctum hæc erudita inscitia.

Cœleste Verbum sit nobis ut Numen aspectabile,
via regia, nulli movendus terminus, dux, lux,
pedum, vitæ magistra, veritatis regula, & actio-
num omnium norma constans.

Doxast. Num tibi notus est Protestantum quis-
quam, qui hanc cœlestis Verbi auctoritatem non
agnoscat?

Eleuth.

Eleuth. Eam quidem ore profitemur omnes, & contra Romani cœtus hyperaspistas fortiter pro-pugnamus: sed factis negamus plerique omnes.

Doxast. Quid ita? nonne Majores nostri Babylonis deseruere castra, ut divinis tabulis auctorita-tem restituerent, Romanorum Præsulum nefariis ausibus collapsam?

Eleuth. Ita est. Favebant superi primis tentatæ sacrorum instauratiōnis annis. Sed quo propius ad nostra venitur tempora, hoc magis ab recto tramite recessum est. Culpemus nunc jam Romanorum doctores, qui Ecclesiam, id est, Papam, Concilia, supremum controversiarum judicem manibusque pedibusque contendunt; nos id ipsum factis comprobamus nostris.

Doxast. Oedipo opus est, qui hoc ænigma sol-vat.

Eleuth. Davus solvendo par est. I quæso, per veteres Conciliorum, Synodorumque historias; illæ te docebunt, plerumque non secundum Dei Verbum, sed ad nutum principis, subitumque factionis potentis decisiones factas; unde factum, ut quæ hæc Synodus damnarat, mox approbaverit altera. Repete memoria, quæ duobus proximis Sæculis inter Protestantes acta passim, ventilata-que fuere. Num regiam semper inivere viam, quam panderat Christus, quam triverat Deo satus Apostolorum chorus? Nonne simplicem veri nu-ditatem osī, ob intricatas quæstiones bella ex bel-lis, lites ex litibus severunt? Nonne Confessiones & Formulæ, quæ initio publicæ tantum concor-diæ testes fuerant, temporis processu leges fidei,

ac conscientiæ vincula facta sunt? Fateamur itaque, Ecclesiam, id est, paucos qui rerum potiuntur, ubique esse controversiarum judices.

T A N T U M.



Medi

(*) Meditatio de Uſu,
quem præstat Christianismus in pro-
movenda Eruditione.

SÆpius jam de hoc argumento cogitavi, præ-
sertim cum sciam multos esse, qui plane si-
bi persuaserint, solidam cum vero Christia-
nismo Eruditionem consistere vix posse. Jam dig-
nitate thematis permotus cogitata in chartas con-
jecturus, quis sit vere *Eruditus*, quisque *Christianus*
hoc nomine dignus, ante omnia dispiciendum vi-
detur.

§. I.

ERUDITI, ut paucis omnia complectar, ille
nobis nomen jure sibi solus vindicare posse vide-
tur: qui præcipuum in excolendis ingenii facultatibus
ad agnoscendum & sequendum Verum operam sapienter
ponit. Qua in Definitione tria continentur. 1.) ut
sinceræ Veritatis sit studiosus, nullisque nec labo-
ribus nec vigiliis parcat ad eam conquirendam.
2.) ut ordinem in studiis suis eum observet, quens
consideratio & finis ultimi & mediorum postulat,
scilicet ut gravitatis, necessitatis & usus variarum
doctrinarum, tum generatim, tum pro suo pe-

A a 3

culiari

(*) Hæc Meditatio auctorem habet præstantissimum
ac Reverendum Virum, DILTHEIUM, Anhalt. Coeth.
qui longo jam tempore hic apud nos agit, omnibusque
qui solidam eruditionem & vitæ probitatem amant, ea-
reus acceptusque est.

culari statu & scopo, habeat rationem. 3.) ut quæcunque didicit in suum aliorumve emolumen-tum conserre studeat.

CHRISTIANUM vero non eum dicimus, qui nativitate, confessione, ceremoniarum observa-tione, articulorum quorundam & formularum am-plexu, nomen hocce sibi arrogat: sed eum, qui ope Spiritus sancti ad fidem conversus, deque excellentia doctrinæ Jesu convictus, eam toto corde amplectitur, Deum Salvatorem suum unice veneratur & amat & le-gibus ipsius toto animo per totam vitam obtemperat. Ex collatione harum definitionum quæ dicemus pa-tebunt.

§. II.

Primus quem verus Christianismus eruditioni præstat usus est; quod *animum sedet & affectus componat*: quod quam sit eruditio necessarium vel obi-ter attendentem non fugiet: quomodo enim præ-judicia profligare poterit, qui totus affectibus de-ditus est? qui fieri potest, ut sedulo & omnibus mentis nervis, omni animi contentione ad certum quid & serium constanter attendat ille, quem suæ semper cupiditates vinciunt, vanitates distrahunt, somnia occupant & cui voluptatibus fluctuanti vera quævis & solida, quamvis jucundissima, au-stera, difficultia, tristia videntur, quin sæpe vires intellectus perpetuis imaginationibus pariter ac corporis abusu debilitatæ sepeliuntur. Quanta jam Spiritui in corde operanti & Doctrinæ Jesu vi-vi agnitæ ad compescendas istas & disjiciendas nubes veritati aditum præcludentes, vis sit, vel sola Ideæ Christianismi supra datæ inspectio docet.

Tan.

Tantum non totam in eo versari Christi doctrinam dixerim, ut monstrata illa partim extirpare, partim domare & rationi ac fidei subjicere doceat. Non negaverim equidem etiam ignorata hac cœlesti doctrina in subigendis affectibus adeoque in sedando animo haud parum profici posse: nemo tamen qui præcellentiam incentivorum in Doctrina Jesu revelatorum cum iis, quæ Philosophia unquam invenire potuit, comparaverit, & ipsius Numinis auxilium cogitaverit, de Christianismi hoc in negotio longe præstantiore ope dubitabit.

§. III.

Porro in eo se veri Christianismi in Eruditione usus exserit, quod ad Doctrinas de Deo, de cultu ejus, de æterna felicitate, de officiis erga nos & proximum, Doctrinas certe præ omnibus præcipuas, rite intelligendas cum primis faciat. Communis Christianis revelationis amor ad iterum iterumque versandas sacras paginas eo magis impellet, quo sæpius legerint: & propria experientia juncta cœlesti lumine multa comprobabit & illustrabit. Quotidie ergo majorem, certiorem, clariorem excellentissimarum veritatum acquirent cognitionem, & crescent ita in nobilissimis eruditionis veræ partibus. Melius etiam ad ea quæ accidunt quotidie attendent, quatenus præcipue ad providentiam aut regnum gratiæ singularem relationem habent.

§. IV.

Deinde humilitas christiana non parum eruditionem promovebit. Certe humillimi discipulus Soteris, & in meditatione veritatum cœlestium probe versatus non præclare de semetipso sentiet. Quo plus

ribus ornatus est donis, quo insigniores progressus fecit, eo magis a superbia alienus erit, omnia illi tribuet qui animum & vires ipsi largitus est: sed & quotidie magis magisque de imperfectione sua & de scientiae humanae arctis limitibus convinceatur. Hinc nunquam immodice sua amabit, nunquam se infallibilem putabit, alios dissentire & lubenter feret, et si jure fieri viderit, sententiam mutare non ignominiosum reputabit. Multa se semper vel ignorare vel imperfecte satis nosse eo n agis discet, quo majorem acquiret cognitionem, adeoque nunquam in via eruditionis subsistet, sed discet quotidie, & quo perfectior forsitan Doctor erit, eo discendi cupidorem sese geret discipulum. Non spernet alios aut parcus a natura ornatos, aut minus eruditos: sed eo humiliorem ipsis se praestabit. Non cupidus erit magnopere, certe non impatiens, ut nomen suum in eruditiorum codices relatum legat: & per ora doctorum volitet, quæstionibus, bellis, scriptis non nisi literaturam ostentantibus, usum nullum praestantibus, tempus, ad graviora concessum, terere religioni ducet. Dicam paucis ab omnibus istis immunis erit vitiis, in quæ eos ruere videoas, qui apud posteros vivere pluris ducunt, quam cœlicolis adscibi. Quæ omnia quam necessaria sint veri eruditæ & adminicula & ornamenta, est in propatulo.

§. V.

Quarto non spernendum in dirigendo ordine, selectu ac modo studiorum usum a vero Christianismo sperare potest Eruditus. Ille omnino hoc nomine indignus est, qui sine bene meditato fine, sine selectu,

tu, sine ordine qualemcumque quarumcumque re-
 rum notitiam acquirere allaborat: hoc potius est
 confundere mentem & destruere, quam excolere,
 & quid tandem ejusmodi scientia juabit, quæ
 quidem ad titillationem & loquacitatem multum,
 nil vero ad bene beateque vivendum facit, & ubi
 ad examen revocaveris, tenues evanescit in auras.
 Quam difficile vero sit id, quod supra ab erudito
 postulavi, sapienter studiis incumbere, noverint ii
 qui quid verba dicant ponderaverint. Difficillim-
 um vero hunc laborem facillimum reddit verus
 Christianismus. Sanctissima Redemptoris doctrina
 eum nobis proponit actionum omnium finem,
 quem agnoscere tales nec scrupulosissima nequit
 ratio: proponit vero ita ut non solum dignitas
 ejus vel primo intuitu nos moveat, sed & simul
 subordinationis finium intermediorum possibilias
 & modus ex eo quam distinctissime dijudicari
 queat. Scilicet jubet nos hoc præcipue in tota
 vita agere, ut nos æternum beatos reddamus, seu
 quod idem est ad gloriam Numinis æternum de-
 prædicandam præparemus, huc omnibus actioni-
 bus & cogitationibus tendere: deinde etiam ejus
 quæ in terris impetrari potest felicitatis, subordi-
 nate tamen & convenienter primo illi & præcipuo
 fini, curam gerere; ex quibus denique & illa of-
 ficia quibus proximo obligati sumus efficiuntur,
 cuius ut æterna ita & temporalis salus non postre-
 mus laborum nostrorum esse debet scopus. Eo
 tandem fiet ut eruditus ordinem ac modum studiis
 suis eum semper ponat, quo tutissime & proxime
 ad fines prudenter ita statutos ire datur. Non vi-
 debis eum rebus nullius ponderis inhærentem &
 gravissimis futilia anteponentem: In omni studio-

rum genere quid utilitate & necessitate præstans sit inquiret & eliget, eoque se & hominis & sapientis titulo dignum & societati utilem reddet.

§. VI.

Quinto & mibi quem Christus discipulis suis commendat animus eruditio maximopere convenit. Semper erunt qui dissentient & cum quibus si voluerit habebit quod disputet. Non semel accidet, ut quæ ipsi evidentissime probata aut refutata apparent, aliis non itidem videantur: decebitne jam veri nominis eruditum mox effervescere, & quem non potest argumentis convincere, calumniis, clamoribus, accusationibus, hæretificiis, imo & verberibus ad Affensum fictitium cogere. ? Ad quæ quam proni multi fuerint & adhucdum sint, eheu quot exempla docuerunt! Et quæ mala hinc enata testantur historiae! Abhorret ista eruditus Christianus, non indignatus errantibus, miseretur potius eorum, & corde amoris pleno amicis verbis, suavi vultu, in viam reducere conatur: qui agendi modus quantum illi præferendus, quamque rei literariæ utilis sit, demonstratione non eget.

§. VII.

Sexto tandem & patientia christiana non raro operi ferre poterit eruditio. Plerumque, quæ temporum est malignitas! veri Eruditi injuriis multis, calumniis, nec nunquam persecutionibus obnoxii sunt insanæ plebis & doctorum plebejorum. Ferre enim horum ignorantia & præjudiciis tumida superbia non potest, eos a via communi avita deflectentes, gregem majorum, æqualium, Doctorum

ctorum, civium relinquentes, auctoritatesque
spernentes, consilia, dictamina propriæ consci-
entiae sequi. Mox in promtu sunt odiosissima ista
indifferentiarum, hæreticorum &c. nomina :
universus populus clamitat novam religionem,
conqueritur spreta majorum oracula, & parum
ſepe abeft quin ad ignes innocentes heterodoxos
damnet. Utinam pauciora tempora nostra exem-
pla rei tam vefanæ exhiberent! sed eheu eruditum
effe & subire ſtultorum & ſuperstitiosorum odia,
ſannas & injurias idem fere eft. Quid jam conſu-
lendum erudito? numne his animum frangi pa-
tietur, numne mœrore tam juſto deplorans tem-
porum malignitatem ſeipſum consumet? ſed quid
juvabunt ea? ſequi cum Tillotſonio Ieſum Chri-
ſtum omnino conſultius erit, ſcriptisque etiam
acerbiſſimis magnanimitate inscribere: *Pater ignoſce,*
nesciunt quid faciant.

T A N T U M.



JO.

(*) JO. JACOBI BREITINGERI
in
VERSUS OBSCURISS.
A. Persio Sat. I. citatos
DIATRIBE.

PRÆFATIO.

Mirantur aliqui me hactenus edidisse nihil ; mirabuntur alii nugas pri-
mum edere : Nil præter morem se-
culi facio : tacere hodierna ingenia non si-
nunt, scribillant omnes, quiescere nemo
potest ; Veremur adeo ne piperi defint tuni-
cæ scombrisque cuculli. Verum

*Non semper ea sunt, quæ videntur, decipit
Frons prima multos*

Diligenter intuere has nugas, Lector !
fortassis in seria ducunt: & quid si meræ
sint nugæ, atque ædepol lyra, lyræ? magno
passim

(*) Isthæc Diatribe jam an. 1723 Speciminis loco edi-
ta: quum vero paucissima ejus exempla ad exterorum
notitiam pervenerint, eam h. l. repetere non ab re vi-
sum est.

passim conatu magnas agimus nugas, proprieisque excusssi aliena curamus negotia;

*Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa;*

his otium solantur, & illi, qui sapientem pascunt barbam; Auriculas asini quis non habet? heus tu qui me ultro insectaris tanquam melior! & tibi nimirum barbam vellunt lascivi pueri: quæ ipse capeffis negotia laudantur ab his, culpantur ab illis: ita homines sumus, ridemus alius alium, sed omnes caudam trahimus:

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.

Possem caussam meam exemplis tueri, atque producere omnis ætatis ingenia, Philosophos, Ecclesiæ Doctores, Ductores, Episcopos &c. qui Sisyphi hoc saxum asidue versarunt: sed memini illius Horatiani.

Nil agit exemplum litem, quod lite resolvit.

Malo facti veniam præfari,

*Scimus, & hanc veniam petimusque damusque
vicissim.*

Lusi hoc quicquid est otium magis fovens, quam studens vitreæ famæ: hæc vita mea, si quid datur oti, illudo chartis, pluris enim facio chartaceum hunc ludum, quam illum alterum, nescio quibus picturis intestabilem.

Ab exordio ad rem, e diverticulo in viam.
 Quam tibi sisto Lector! Exercitatio Litteraria
 in obscurissimos quosdam I. Persianæ
 Sat. versus, futuri operis specimen est. Ani-
 mum induxi meum integrum Satirarum Li-
 brum nova palla indutum in forum Littera-
 rium propellere.

Quare existimavi e re mea esse, ut publi-
 co hoc scripto consilii mei rationes de cu-
 randa nova hujus Libri editione exactius
 nunc paullo deducam.

Nimirum Textum Auctoris dabo ad optimorum Codicum fidem examinatum: inter commentatores, qui & aetate reliquos antecedit, primas tenebit *Cornutus antiquus Scholia*; *Marcilii* & *Casanboni* notas integras inibi invenies: magnum insuper pondus accedet huic meæ editioni ex Viri Illustriss. *Silvestri Itali* annotationibus; quas primus latio donatas heic conspicies: his subtexam *Variorum Doctiss. Virorum notas selectas*: Adde & insignem fasciculum mearum Animadversionum, quarum pretium institorum more nolo heic elevare: singulis insuper Satiris accedet *Dissertatio*, quæ præcepta Stoicorum a Persio tradita vocabit sub incudem: Habebis quoque præfixas rarissimas illas *Disquisitiones Ludov. Aprosii* & *Caspari Massæ de Origine & Patria Persii*, ex italico sermone translatas, cum modesta Epicrisi; ut & bi-
 nas

*nas Exercitationes Criticas, de stilo Persii alteram
adversus P. Bælium & Casaubonum: alteram in
Vitam Persii. Habes Consilii mei rationes.*

Quod restat, omnes quibus hoc consili-
um non improbatur, hospites, cives, ex-
teros, publicis his literis compello, ut quæ-
cunque ad fovendam, promovendam, au-
gendam, inluststrandam novam hanc Persii,
quam molior, editionem conferre existi-
mabunt, mecum benevole communicare
velint: quam prolixam in me voluntatem
publicis præconiis efferam, & naviter ope-
ram dabo, ut me benefactorum haud esse
immemorem ipso opere testatum faciam.

Scripsi Tiguri Helvetiorum. H. L. Q. S.

CLIXCCXXIII.

DIS-

DISSERTATIO CRITICA IN VERSUS OBSCURISSIMOS

A. P. Flacco Satir. I. citatos:

Qui vulgo Neronis esse creduntur.

A. Persius Fl. Sat. I.

V. 92.

Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: Berecynthius Attis
Et qui cœruleum dirimebat Nerea Delphin;

95.

Sic costam longo subduximus Appennino.
ARMA VIRUM; nonne hoc spumosum & cortice pingui?
Quidnam igitur tenerum & laxa cervice legendum?
Torva mimalloneis implerunt cornua bombis,

99.

Et raptum vitulo caput ablatura superbo,
Bassaris & lyncem manas flexura corymbis
Evion ingeminat; reparabilis adsonat Echo.
Haec fierent si testiculi vena ulla paternâ
Viveret in nobis? Summa delumbe saliva

104.

Hoc natat in labris, & in udo est Mænas & Attis:
Nec pluteum cœdit, nec demorsos sapit unguis.

DIS-

DISQUISITIO I.

de

AUCTORE VERSUUM

Viro perspicacissimo
PETR. BÆLIO opposita.

§. I.

Egregie Seneca: *Sequimur antecedentium gregem, & non qua eundum est, sed qua itur.* Quod ut de communis hominum vita, & de eorumdem opinionibus verissimum est: Ut plurimum patriis sententiis, quas *Persius* false veteres *avias* nuncupat, tanquam ad saxa adhæremus, eorumque effata, non minori religione quam oracula stupemus: paucissimi vel volunt, vel sciunt, vel audent proprio uti ingenio, & quid distent æra lupinis ipsi disquirere. Verum non Satiram scribo; contentus hac vice illustre aliquod hujus communis erroris exemplum dare in Disquisitione hac de auctore vel fabro versuum horum A. Persio Satira I citatorum. Primus interpretum in A. Persii Fl. *Satiras*, *Scholia*stes antiquus qui *Cornuti* (a) nomen mentitur, verius *Cornuti* quidam imperitus epitomator est, versus Persio citatos Neronis esse assa

Tom. II.

B b

voce

(a) *Cornutus Comment. in Sat. I. edit. El. Vincet.*
p. 18. 19.

voce affirmavit: verba ejus ad v. 107. sunt. *Et dicit hos versus Neronis in hæc nomina desinentes, & ad v. 113.* *Hi versus Neronis sunt, & huic sunt compositi.* Hunc inertem compilatorem omnis ferme commentatorum sequiorum turba sequuntur, *Britannicus, Joan. Baptista Plautius, Antonius Nebrissensis, Volscus, Murrmellius, Marcilius, Casaubonus. &c.* Et nec nostri ævi disertissimus elegansissimusque Satirarum Scriptor Nic. Boilavius (b) de hoc commento vel minimum dubitavit: *Exammons pourtant Persé, inquit, qui écrivoit sous le regne de Neron. Il ne raille pas simplement les ouvrages des Poëtes de son tems: Il attaque les Vers de Neron même. Car enfin tout le monde sait & toute la Cour de Neron le savoit, que ces quatre Vers, Torva Mimalloneis &c. dont Persé fait une raillerie si amère dans sa première Satire, étoient des Vers de Neron. Cependant on ne remarque point que Neron, tout Neron qu'il étoit, ait fait punir Persé; & ce Tyran, ennemy de la raison, & amoureux, comme on fait, de ses ouvrages, fut assez galant homme pour entendre raillerie sur ses Vers, & ne crût pas que l'Empereur, en cette occasion, dût prendre les intérêts du Poète.*

§. II.

Huic Scholiaстis commento primus omnium se
opposuit Badius Ascensius (c) Persii Paraphrastes,
his

(b) Boileau dans son Discours sur la Satire. pag. 248.
edit. Amst. 1718, 4to.

(c) Ascensius Comment. in Sat. I, edit. Lugd. 1511,
pag. 40.

his verbis: *Adducuntur quædam fragmenta carminum, in quibus nimius fucus est, quæ cujus fuerint non constat, sed arbitrantur plurimi Neronis esse, quod mihi non verosimile videtur, quia si consilio Cornuti hemistichion illud:*

Auriculas Afini Mida Rex habet.

mutavit dicens: Quis non habet? in quo tamen non aperte Neronem taxasset, quanto magis hos versiculos, si Neronis essent, sustulisset. Post hunc Vir perspicacissimus & vastissimæ Eruditionis miraculum Petr. Bælius, (d) eodem plane arguento, [quo Ascensius utitur,] hos versus Neroni temere suppositos contendit; An forte fortunatum vero ex consilio ac conscius Badii vestigia sublegerit, haud adeo proclive est dicere; egregie certe hoc argumentum illustrat, & acriter urget, dicens: *Perse s'etoit servi de ces paroles dans sa première Satire.*

Auriculas afini Mida Rex habet.

Cornutus vouloit qu'il les changeât en celles-ci:

Auriculas afini quis non habet?

si Cornutus trouvoit là Neron designé trop visiblement, sa precaution étoit sage, quoique peut-être cet Empereur ne fût pas encore sorti des ses bons jours, qui durerent cinqu'e ou six ans. Mais d'où vient que ce correcteur ne toucha point au 4 vers inseréz dans cette mê-

(d) Bayle dans son Dictionnaire Histor. & Critique Tom. III. p. 2391. not. (D.)

me Satire, & empruntez d'une Tragædie de Neron? Y avoit-il lieu de craindre, si l'on disoit le Roi Midas a des oreilles d'âne, lorsqu'impunément on pouvoit donner ses vers pour le modèle d'une poësie ridicule? Je trouve la quelque sorte de difficulté, & peut-être ces 4 vers.

Torva mimalloneis implerunt cornua bombis,
n'étoient tout au plus qu'une raillerie indirecte, cachée, & tout à-fait oblique: car si Neron eût été l'Auteur de ces vers, comment auroit-on osé les rapporter mot à mot pour s'en moquer, puisqu'on corrigea l'auriculas ainsi Mida Rex habet. La disparate est trop étrange, d'un côté beaucoup de poltronerie, ou de l'autre beaucoup de temerité. En effet on doit tenir pour certain que Malherbe se seroit choqué de ces vers de Msr. Despreaux quand même il n'y auroit pas été nommé.

Jrai-je dans une ode en phrases de Malherbe,
Troubler dans ses roseaux le Danube superbe,
Delivrer de Sion le peuple gémissant:
Faire trembler Memphis, ou pâlir le Croissant:
Et passant du Jourdain les ondes alarmées,
Cuellir, mal-à-propos, les palmes Idumées.

Sat. IX.

il me semble donc que le Torva mimalloneis &c. ne sauroit être ni un fragment des poësies de Neron, ni une parodie, ou une imitation de ses vers; car encore un coup, s'il n'étoit pas homme à entendre raillerie sur l'auriculas ainsi Mida Rex habet, qui étoit une vieille histoire, il ne faloit pas esperer, qu'il

qu'il endurât, qu'on fit des Centons ridicules composéz de ses expressions. Hactenus perspicax Bælius: qui sibi habet suffragantem alium nobilem Gallum: (e) J'admire même l'audace de Perse d'avoir une fois voulu se joüer à cet Empereur: car ce petit bout de vers Auriculas Afini &c. étoit exprés pour lui. C'en étoit fait de Perse, si le sage, le discret Cornutus n'eut supprimé le nom propre & n'eût substitué à la place un mot auquel a part tout le genre humain. Je ne conçois pas même comment ce Philosophe, depuis exilé par le Tyran pour n'avoir pas crû en conscience devoir approuver le dessin de son poème, souffrit que son disciple s'exposât à produire avec un esprit malin pour modèle de vers abevez le Torva minalloneis &c.

§. III.

Argumentantur vero hi omnes, eodem enim dimicant gladio, auctoritate Biographi Persii nostri, qui vulgo Suetonius (f) creditur: Sed mox ut a Schola deverterat, lecto Libro Lucilii X vehementer Satiras componere studuit: cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus [alii detractus] cum tanta recentium Poëtarum & Oratorum insectatione, ut etiam Neronem illius temporis Principem culpaverit: cuius versus in Neronem cum ita se haberet,

Bb 3

Auri-

(e) Epitre au devant de la traduction du P. Tarteron.

(f) Suetonius in Vita Persii. edit. Patini, c. II. Varior in 4to. p. 706.

Auriculas Afini Mida Rex hahet.
*in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est
emendatus*

Auriculas Afini quis non habet?
*ne hoc Nero in se dictum arbitraretur. Et recte
omnino ex his verbis colligitur, versus illos Tor-
va mimalloneis &c. non Neronem Auctorem agnos-
cere: Solum enim hemistichium Auriculas Afini &c.
citat, indicem Persiani stomachi in Neronem: de
reliquis altum silentium.*

§. IV.

Sed fortassis non adeo firmum est hoc, cui
omnis illorum innititur opinio, fulcrum: fortas-
sis non adeo genuinum est hoc Biographi testimo-
nium: de quo ipsi ne per somnum quidem cogi-
tarunt. Age, dispiciamus: I. Divinare non pos-
sum, qui Nero hoc Satirici Hemistichium

Auriculas Afini Mida Rex habet.

*in se dictum potuisset arbitrari. Nullam certe
Persius dedit suspicionis ansam: Quærit, cur sibi
minus licet pravos hominum mores tangere,
quam Lucilio & Horatio Satyrographis, qui suis
salibus & verborum acrimonia Civitatis Principes
impune laceraverint: hanc quæstionem proponit
sub aliqua Metaphora, alludens ad Fabulam illam
Midæ Regis Lydiæ, ita in vulgus notam, ut in
proverbium abierit:*

*Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam.
Heic tamen infodiam. Vidi, vidi ipse Libelle:
Auriculas Afini Mida Rex habet - - - -*

Cur non etiam elegantissimus *Boilavius* (g) veritus est, ne Galliæ Rex hæc in se dicta crederet?

Ma bile alors s'echauffe, & je brûle d'ecrire
Et s'il ne m'est permis de le dire au papier;
J'irai creuser la terre, & comme ce barbier
Faire dire aux roseaux par un nouvel organe
Midas, le Roi Midas a des oreilles d'âne.

Equidem novi male ingeniosum quandam hominem & nimis credulum, idem illi intentasse crimen, quod Persius commisso dicitur: ut me docuit eruditissimus *Auctor Animadversionum* in Boilavii (h) Satiras: *Msr. Pelisson piqué contre l'Auteur, vouloit insinuer, que dans le vers 224 de cette Satire neuvième, Midas le Roi Midas &c. Msr. Despreaux avoit eû à l'égard du Roi, le même dessein, que Perse avoit eû contre Neron dans ce Vers: Auriculas Asini &c. Dessein extrêmement éloigné de la pensée de notre Auteur.* Merito jure a Ianis rerum judicibus exsibilatus cum suo isto iniquo commento. II. Nullas plane perspicio rationes, quæ Cornutum movere potuissent, ut hoc hemistichium *Auriculas &c.* expungeret vel immutaret. Cornutus certe ita meticulosus timidusve non erat, ut pote qui Neroneum Imperatorem præsentibus Amicis Principibus nimii fastus & inscitiae incusaverat, ut auctor est *Xiphilinus*: (i) 'Εσ νηστον δ' εν ἐνεβα-

B b 4

λευ,

(g) Boileau Sat. IX. v. 220. p. 98.

(h) Commentator Sat. Boilavii ad Sat. IX. v. 302.

p. 102.

(i) Xiphilinus in vita Neronis p. 715. edit. Leuenela-vii.

λεν, ἐτινων τελεσκοπια αἰξιγνήσιων αὐλον Βιβλίος
γραψαν, πολλα τε αὐλα ἔναι, ἐφη, καὶ μηδενες
αὐλα αναγνωσεθαι. n. λ. III. Tribus Anticyris
caput insanabile habuisse Cornutus Philosophus,
si hunc unicum & sic satis innocuum sollicitasset
locum, aliis & clarioribus & acrioribus integris:
Cur non item obelo notavit Sat. I. v. 101.

*Laudatur, bellum hoc! hoc bellum! an Romule cæves?
qui cum illo Catulli (k) plane geminus:
Cinæde Romule hac videbis & feres?*

Et quid dicemus de integra IV Satira Aul. Persii? quæ juxta omnium interpretum fidem vehementer despuit in mores Neronis perditissimos. Quare nec illa in spongiam incubuit? Evidem insigne habet patronum *Casaubonum*, qui Persium a temeritatis criminè liberare laborat: Probe vero notat *Persius*, cum ad hanc Satiram scribendam se accingeret, quantam rem & quam periculosa moliretur: quamobrem consilio prudentissimo hoc argumentum Platonis imitatione sibi tractandum censuit: non solum nominibus inde petitis, sed etiam sententia propemodum universa: ut si quis forte *Corycaeus* aut *Cecrops* nomen ipsius deferret, probabili excusatione posset factum suum defendere, quasi exercendi tantum. *Styli* petitum e libris summi Philosophi argumentum, latinis versibus tentasset complecti. Verum

(k) Catullus carm. XXX. confer. Com. Breckh. ad Propert. p. 241. 2.

rum quæ dabitur ratio, qui factum sit, ut Nero minus intelligeret, se in hac IV Satira sub Alcibiadis nomine indigitari, quam Sat. I sub Midæ? qui heic se extricare tentant, nihil proficiunt, & faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligent.

§. V.

Sed non his tantum rationibus inducor, ut contendam, illud Biographiæ Persii attextum de Cornuto critico testimonium esse supposititium; Clarissimum hoc est præterea ex universa Biographiæ illius compositione: Auctor Vitæ illius, sive Valer. Probus, sive Anonymus sit, Satirarum Persianarum mentionem injicit, his verbis: (1) *bunc librum imperfectum reliquit.* Versus aliqui dempti sunt in ultimo libri, & quasi finitus esset leviter recitavit Cornuto: & Cæsio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum. Editum librum continuo mirari homines & diripere cœperunt. Et statim addit Biographiæ hujus clausulam: *Decessit autem vitio stomachi, anno etatis XXX.* Cui demum inepte hæc adsuitur fabella de emendatione hemistichii illius; *Auriculas Afini &c.* Cornuto Auctore; *Sed mox ut a schola & magistris &c.* Certe si appendicula ista ejusdem cum reliqua Vita commatis esset, alium esset fortita locum; nulla plane cum præcedentibus est connexio: Quis enim unquam Biographorum hunc in modum scripsit? *Decessit anno etatis 30: sed mox ut a Schola deverterat vehementer*

(1) Auctor Vitæ Persii ap. Suetonium p. 760.

hementer Satiras componere studuit. Fortassis nata est hæc fabella ex glossemate aliquo, quod in ipsum Textum postea irrepsit: Suspicer ad marginem verborum illorum *Auriculas Asini.* &c. adscriptum fuisse: *Quis non habet?* quæ ipsius Persii verba sunt Sat. I. v. 8.

Nam Romæ est quis non? ab si fas dicere.

postmodum verba hæc, expuncto Mida Rege, in quædam transcripta sunt exemplaria. Quam Codicum discordiam, cum animadvertisset quidam male ingeniosus, hanc fabulam facili labore confinxit. Hæc mea est conjectura. Dic alium Quintiliane colorem!

§. VI.

Egregie quidem debellasti, inquis, hoc argumentum Badii Ascensii, atque ipsi ex asse fecisti satis, ita ut ne mutire quidem contra audeat: sed alia suppetunt argumenta, quæ Neroneū versuum illorum Auctorem esse disuadent: Quis enim crederet, Neroneū a Persio impune fuisse lacestiuim, carmina ejus tanquam nugas canoras taxando? urget hoc argumentum perspicacissimus Bælius, (m) dicens: *C'est dira-t-on que ce Prince ne se souciolet gueres de sa qualité de poète: mais il faudroit en donner des bonnes preuves où n'avancer point cœla; car pour l'ordinaire chacun est amoureux de ses Poësies. La couronne ni le sceptre ne guerissent point de*

de ce defaut & nous savons en particulier que Neron étoit plus sensible à la censure de sa Musique, qu'à celle de ses crimes: addo ego, qu'à celles de ses Poësies. Non diffiteor, valet ut plurimum illud Horatii (n)

*Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent sribentes & se venerantur & ultro
Si taceas, laudant, quicquid scripsere beati.*

Verum dabimus invicta de Nerone testimonia, quod carminum suorum criseis patienti animo tulerit; testem cito Suetonium: (o) Mirum, inquit, & vel præcipue notabile inter hæc fuit, nihil eum patientius quam maledicta & convitia hominum tulisse, neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacefissent, extitisse: Multa græce latineque scripta aut vulgata sunt, sicut illa:

Νερων, Ὁρέστης, Ἀλκμαῖον, μῆλοιον.
Νεονυμφον, Νερων, ιδαν μῆλος απεκλειενεν.
Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem?

Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.
Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,
Noster erit Pæan, ille ἐνανθελεῖns.
Roma domus fiet: Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat ista domus.

Sed neque Auctores requisiuit: & quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici graviore pœna pro-

(n) Horat. L. II. Epistol. 2.

(o) Sueton. in Vita Neronis. c. 39. p. 545.

prohibuit. Suffragatur & Dio Cassius (p) *in Vita Neronis: Καὶ ἦν μὲν καὶ ἀναγνωσκειν πολλαχοῦ ὅμοιας γεγραμμένων*

Νερων, Ὁρεσης, Ἀλκμαιον, μητροκλουον.

ἥν δε ἀκεῖν αὐτὸ τέλο λεγούσιων ὅτι Νερων την μητρεα ἀνεχρηστάο. Συγχονοι γαρ ὡς καὶ λελαληποιας τιας αὐτὸ εἰσηγγελου, ἐχθρῶς ιν' ἐκείνους απολεστωσιν ὡς ινα του Νερωνα διαβαλλωσιν. Οδεν εδεμιαν τοιαυτην δικην προσηκαλο, ητοι μη βλαμενος ἐπι πλειον δι αὐτης την Φημην ἐπαυξησαν, η καὶ καταφρονων ηδη των λεγομενων. Quod Nero etiam omnia alia convitia, præ illa mali citharœdi criminazione despicerit expressis verbis docet Suetonius (q) in ejus Vita passim, cap. 20. 21. 23. & cap. 41. *Nihil autem æque doluit, quam ut Citharædum malum se increpitum, ac pro Nerone Enobarbum appellatum.* Cetera convitia ut falsa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam inscitia tantopere laborata perfectaque a se artis objicerentur. Hæc sunt hujus rei clarissima testimonia, quibus alia possem succenturiare, si opus esset.

§. VII.

Addam tamen locum omni exceptione majorem ex Tacito *Corn.* qui omnem plane diluet scrupulum. (r). *P. Mario. L. Asinio Coss. Antistius Praetor,*

(p) Dio Cass. Libr. LXI. p. 697. edit. Leuenclav.

(q) Sueton. c. 41. p. 547.

(r) Tacitus Annal. Lib. XIV. cap. 48.

tor, quem in tribunatu plebis licenter egisse memo-
ravi, probrofa adversus Principem carmina facti-
tavit, vulgavitque celebri convivio¹, dum apud
Ostorum Scapulam epulatur. Exin a Cossutiana
Capitone majestatis delatus est: Tum primum revo-
cata ea lex, credebaturque haud perinde exitium An-
tistio, quam Imperatori gloriam quæsivisse, [ita le-
gendum qui censuerunt ēis αὐτὴν την ἀληθεῖαν
τον καλαμον ἐβαρύα.] ut condemnatus a Senatu,
intercessione tribunitia morti eximeretur. Cossutia-
nus sc. novit animum Neronis, qui probrofa car-
mina punire non erat solitus: hinc adulator sum-
mus Antistium detulit, non animo eum perdendi,
sed ut Nero Tribunitia potestate usus a Senatu
damnatum absolveret, clementiæ laudem eo sibi
inventurus: Quid Patres de reo censuerint nolo
huc transcribere; ea tantum afferam, quæ e re
nostra sunt: Consules perficere Senatus decretum
non ausi, de consensu scripsere Cæsari: Nero in-
ter pudorem & iram cunctatus postremo rescripsit:
nulla injuria provocatum Antistium gravissimas in
Principem contumelias dixisse: earum ultionem a
Patribus postulatam. Et pro magnitudine delicti
pœnam statui par fuisse: ceterum se qui severitatem
decernentium impediturus fuerit, moderationem
non prohibere. Statuerent ut vellent, datam etiam
absolvendi licentiam. Habes hic Antistium insigne
clementiæ Principis exemplum: habes C. Tacitum
testem, neminem ante Antistium P. Mario. L. Af-
fino Coss. majestatis lege damnatum, qui ii ipsi
Coss. quibus Persius (s) mortuus est, deceſſit enim
Persius

(s) Auctor Vita Persii,

Persius VIII Kal. Decemb. P. Mario, Asinio Gallo Coss. Viden' legem majestatis sub Nerone anno demum Persii emortuali revocatain : Quæ ergo vel Persio vel Cornuto ratio fuisset, cognita hac Principis clementia , cur quicquam in Satiris quod Neronem tangeret , vel immutaret vel obelo configeret ?

§. VIII.

Ast audiendæ in contrarium perspicacissimi Bælli (t) exceptiunculæ : *C'est un préjugé qu'entant que Poète il n'étoit pas peu mal endurant. Ne bannit-il point Cornutus & ne pensat il pas le faire mourir, pour avoir osé dire, que Neron feroit trop de vers, s'il en composoit 400 Livres, & que l'exemple de Chrysippe n'étoit pas à alleguer, puisque les Livres de ce Philosophe étoient utiles à la vie humaine? N'entra-t-il pas en jalouse de metier contre Lucain, & ne lui fit-il pas défendre de composer de Poësies? Opponit ergo Bælius iniqua Cornuti & Lucani fata : De utroque aliquid monendum erit. De Lucano egregie Suetonius: (u) *Lucanus ægre ferens, recitante se, subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa, indicte Senatu Neronem recessisse : neque verbis adversus Principem, neque factis extantibus posthac temperavit. Adeo ut quondam in Latriniis publicis clariore cum strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis magna cum sefforum fuga pronun-**

(t) Bayle dans son Diction l. cit.

(u) Suetonius in Vita Lucani pag. 757.

nuntiarit: Sub terris tonuisse puto. Sed & famoso carmine cum ipsum, tum potentissimos amicorum gravissime proscidit. Id tamen hactenus impune: Tunc demum pœnas luit, cum Pisonianæ in Neronem conjurationis pœne signifer extitit, ut Suetonius autumat: De hac conjuratione C. Tacitus: (w) Initium conjurationi non a cupiditate ipsius fuit: nec tamen facile memoraverim, quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit, quod tam multi sumserunt. Promtissimos Subrium Flavium Tribunum prætoriæ cohortis & Sulpicium Afrum centurionem extitisse constantia exitus docuit. Et Lucanus Annaeus, Plautiusque Lateranus Consul designatus, vivida odia intulere. Lucanum propriæ causæ accendebant, quod famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostentare vanus æmulatione. Interdixerunt enim illi Cæsar foro & theatro iniquo animo ferens, quod judices Lucano coronam adjudicassent, utrisque contendentiibus, ut testatur Xiphilinus (x) Dionis Epitomator in Neronis vita: ὁ δὲ ἀνὴρ Λευκαῖος ἐνωλυθῇ ποιεῖν, ισχυρῶς ἐπὶ τῇ ποιησεῖ ἐπίνειο. (y) Hæc tamen æmulantis Neronis ira Lucani acre ingenium ad convitia fortius stimulavit, tantum abest, ut quicquam mitigaverit; nec enim majoris fecerat quam ventris ructum crepitumve: Certe nullas Imperatori pœnas dedisset, nisi Pisonianæ conjurationis socius extitisset. Quin & Nero post supplicium de

(w) Tacitus Annal. Lib. XV. c. 49. edit. Gronovii p. 1072.

(x) Xiphilin, ex Edit. Leuencl. p. 715.

(y) Consule Barthium in Animadv. ad Statii Silv. Lib. II. 7. 255.

de illo sumtum, famam ei non invidit: hoc vult
Inscriptio vetus: (z)

M. ANNEO LUCANO
CORDUBENSI POETÆ
BENEFICIO NERONIS
FAMA SERVATA.

Hanc inscriptionem apprime illustrant hæc Suetonii (a) verba: *Epulatusque largiter, brachia ad secandas venas medico præbuit. Poëmata etiam prælegi memini: confici vero ac venalia haberi non tantum operose & diligenter, sed inepte quoque. Non majorem vim habet alterum illud Cornuti exemplum; is enim imprudenter, alii legant impudenter, egit, quando Neronem præsentibus potentissimis Amicis & Adulatoribus ignorantiae simul & ambitionis arguit, castigavitque, patientia Principis abutens. Exemplum quod cum Persii de quo disceptamus, commune nil habet: Ut taceam nunc, Neronis clementiam pristinam extinctam plane fuisse eo tempore, quo supplicia hæc sumxit de Cornuto & Lucano, quæ salva adhuc erat vigebatque Persio Satiras scribente. Item & illud, quod mortuo Persio Satiræ ipsius demum fuerint vulgatae. Ita infirmavi Bælii contra Neronem argumenta.*

§. IX.

Quod superest examinanda erunt illa quoque argumenta, quæ pro Nerone Auctore versuum illorum excitantur: I. est Scholiaстis antiqui Auctoritas, quam

(z) Lipsius in notis ad Tacitum edit. Gronov. p. 1072.

(a) Sueton. in. Lucan. vita. edit. Grav. .p 349.

quam a limine hujus Disquisitionis in medium produximus: Verum, quod pace tam venerandi capitis dictum sit, Pseudo-Cornuti hoc effatum non est ex tripode, nec tanti momenti, ut me ultro ad assensum abripiat: Tam varius, sibique inconstans est, ut ipse nesciat, quid fugiatve, petatve: Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis: En confitentem reum ad v. 107. (b) *Hi* versus exempli causa proferuntur, non autem sunt Persii, sed Poëtæ nescio cuius græcissantis, qui cum mare describeret, ita dixit, &c. & ad v. 113. (c) Ipse autem Persius finxit hos versus, vel ut alii dicunt, in aliorum imitationem, quorum scripta sonum grandem habent, sensum nullum. Ilum. Pro Nerone Argumentum est locus Dionis, in quo mentio fit Tragœdiæ quæ Bacchis inscribitur, quamque Neronis esse opinatus est eruditissimus Cæsaubonus: (d) Integrum Dionis (e) locum citabo: Παρολθε τε καὶ ἀντος ὁ Νέρων ἐς το θεόρου, ὄνοματι προς τα Γαλλιῶνος ἐσπηγυχθεῖς. Καὶ ἐγι τε ἐπε τῆς σκηνῆς ὁ καισαρ την πιθαρωδικην σκευην ἐνδεδύκας. Καὶ προτο με, ἐμμενως με αἰνεσθε, ἐπεν ὁ Αὐλορράλωρ ἐνιθερωδησε τε ΑΤΤΙΝ τινα ἡ Βανχας ὁ Αυγυστος, πολλων μεν σρατιοιων παρεστηότων, παῖος δε τη δημη, ότον δε ἕδραι ἔχωροσαν καθημερε. Καὶ τοι καὶ βραχυ καὶ μελαν (ώς γε παραδεδόται) φωνημα ἔχων, ώς καὶ γελωτε ἔμα καὶ δαρυτα παῖοι κινηται. Hactenus Dio: in his verbis ne γρε quidem de Neronis Tragœdia; ἐκ-

Tom. II.

Cc

Σαρω-

(b) Cornuti Comment. in Persii Sat. I. p. 18.

(c) Idem p. 19.

(d) Cæsaubon. ad Sat. I. v. 113.

(e) Dio Cass. in Vita Neron. Lib. LXI. p. 699.

Sægewhæte solummodo Attin aut Bacchus, non ipse scripsit: nil ita temere asserendum est. III.um Denique argumentum pro Nerone hoc est, quod omnes illius versus, (f) quos edax rerum tempus nobis non invidit, sint rhythmicæ, quales & ii Persio citati, de quorum genuino Auctore litigamus: Ast, si illos excipias, vix duos in antiquis Scriptoribus reperias, quos Neronis esse constet: Penes Senecam: (g) *Alioquin, ut ait Nero Cæsar distissime,*

Colla cytheriacæ splendent agitata columbæ.

& variis coloribus pavonum cervix quoties aliquo defletitur, nitet. Alterum apud Suetonium in Lucani Poëtae vita

Sub terris tonuisse puto.

Sed & apud alios Poëtastrorum, qui verborum juncturam unice curant, sensum negligunt, hujus furfuris rhythmos reperias. Qui ergo sequitur hos Versus Neronis esse & non alias Poëtæ? Sed de hac re infra locus disserendi.

§. X.

Vides quid profecerim docta hac mea garrulitate, dubius nunc magis sum & incertus quam dum. Probavi contra BÆLIUM argumenta illa, quibus Neronem versuum Persio-citatorum Auctorem negavit, ficalnea omnino esse: Evici adversus CASAUBONUM, rationes illas in Neronis gratiam

(f) Conf. Casaubonum ad Sat. I. 109.

(g) Seneca Nat. Quæst. Lib. I. cap. 5.

tiam prolatas foliis leviores esse, tunc cum sine pondere succi mobilibus ventis arida facta fluant. Quæris, quis tandem versuum istorum faber siet? audies: Non liquet. Id enim ipsum probavi, infirmando & affirmantia & negantia de Nerone argumenta. En apertum conjecturis novis campum! Liberum nunc erit tibi, in hanc vel illam discedere sententiam, prout animo tuo lubuerit. Liberum & mihi; quare, quod restat, tibi palam faciam nonnullas meas de Auctore *Conjecturas*, inanes illas quidem & leviusculas: Fortassis Neroni tribuendi sunt hi versus; etenim nil obstat, ut abunde satis probatum ivimus. Fortassis nobilis cuiusdam & Potentis Romani Dokisisophi fœtus est, videtur Persius (h) id ipsum indigitare:

*Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis ne Majorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare canina*

Littera

hoc certe ex his versibus licet colligere, tangi aliquem Majorum Persio coævorum. Sed quam maxime ad hanc proclivis est animus conjecturam: Persium nim. versus istos mutuasse ex aliqua Tragœdia, [quid si dicamus ex ipsa illa, cuius Dio mentionem injicit] quam Nero cantavit, non composuit. Tragœdias enim cantavit personatus: herorum Deorumque item heroidum ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui, & fœminæ, protut quamque diligeret. Inter cetera cantavit, Canacen parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excœatum, Herculem insanum. Hæ meæ sunt meræ conjecturæ: libero aliorum judicio.

T A N T U M.

(h) Persius Sat. I. v. 90-93.

DISQUISITIO II.

de

GENUINO SENSU

Versuum Persio Fl. citatorum.

§. I.

SOlliciti nimis sunt commentatores de Oeconomia & dispositione primæ hujus Persii Satiræ ; dum singula ad Logices suæ præcepta examinussim examinant : Quin ipse Doctiss. Casaubonus (a) ad Satiram I. dicere non est veritus: *Nos contendimus nullius Philosophi orationem Scholam gregi suo explicantis , melius cohærere potuisse , quam sint omnes hujus Satiræ partes ex se se invicem aptæ & conexæ.* Sunt quidem quod diffiteri neutiquam quimus Persii Satyræ , ut plurimum simplicis & unius generis ; is non per Saturam , quod ajunt , varia argumenta eodem carmine complectitur more Horatiano ; sed cuique Satiræ *ἐν καὶ ἀπλούν ὑποκειμένον γένος* addicit , quod dein ad finem usque persequitur : quare & in Satiris ejus partium membrorumque orationis omnium concinnior longe est dispositio. Neque tamen ita superstitione præceptis Analytices adhaesit , ut religioni sibi duxerit vel latum unguem ab iis discedere , quod a genio Satiræ alienissimum est ; saepius ab argu-

(a) Casaubon, Proleg. ad Sat. I. p. 49.

argumento carminis digreditur & *ως εν παροδη*
dentem infigit & acriter mordet. Male ergo sibi
consulunt illi, qui Methodum Analyticam, ut
& sensum Satiris inferunt, non vero ex iis au-
ferunt.

§. II.

Animus est in secunda hac Disquisitione inte-
græ primæ Persianæ Satiræ membra sensum erue-
re, & potissimum obscurissimis Anonymi versi-
bus lucem fœnerari: ut ita via pandatur ad vin-
dicandam Persianam Crisin, quod tertiae Disqui-
sitionis argumentum erit.

Sat. I. v. 88 - 97.

M'en moveat quippe - - - incurvasse querela.)
Secutus in eo Persius prudens Horatii præceptum
de Art. P. v. 95. seqq.

*Telephus & Peleus, cum pauper & exul uteisque
Projicit ampullas & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.*

* * *

- - - *Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lœdant
Telephe vel Peleu.* - - - - -

item v. 112.

*Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollant equites peditesque cachinnum.*

Quod Persius dicit: incurvare aliquem querela; Hora-
tius reddit: cor alicujus tangere querela. Egregie, ut
solet, despuit in hanc Poëtarum incuriam illustriss.
Baro de Canitz in disertissima de Poesi Satira:

*Wir lesen ja mit Lust Aeneas Abendtheuer,
Warum? stößt ihm zur Hand ein grimwig Ungehauer;*

So hat es sein Virgil so glücklich vorgestellt,
Dass uns, ich weiß nicht wie ein Schreken überfällt;
Und hör ich Dido dort von Lieb und Undank sprechen,
So möcht ich ihren Hohn an den Trojanern rächen;
So künstlich trift jezund kein Dichter die Natur,
Sie ist ihm viel zu schlecht, er sucht ihr neue Spuhr:
Geußt solche Thränen aus die lachenswirdig scheinen,
Und wenn er lachen will, so müssen andre weinen.

Consule sis Quintilian. Inst. Orat. Lib. I. cap. 4.

v. 92.

Sed numeris decor est, & junctura addita crudis:) ineptit ad haec verba antiquus Scholiaſtes: Et ordo est. Numeris crudis addita junctura decor est, i. e. metris addita junctura decor est, i. e. metris addita junctura honorem ad fert. Et Cabaubonus: Numeri crudi sunt oratio nondum satis expolita, & ut loquitur Plautus eodem genere translationis usus nondum probe cocta. Sic & omnes quos vidi interpretes conjungunt has voces Numeris crudis. male. Quid sibi velint numeri crudi ego hercle divinare non possum: minus adhuc quid numeri cocti. Numerus, Quintiliano Lib. IX. cap. 4. præceptore, spatio temporum constat, & est dimensio quantitatis syllabarum, ποδμες græci reddunt: hinc Virgilius:

Numeros menini, si verba tenerem.

Junctura est, juxta eundem Quintilianum, in verbis, incisis, membris, periodis. Ejus præcepta tradit Inst. O. Lib. IX. cap. 4. Existimo ergo illud crudis substantive hic positum esse: id colligo ex gemino plane loco Horatii in Epist. ad Pisōn. quem forte imitatus est noster:

- - - tantum series juncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

de medio sumtis i. e. crudis. Tria autem in omni compositione necessaria desiderabant, qui præcepta artis tradiderunt, ordinem, juncturam, numerum. Quintilianus. J. O. Lib. IX. *Felicissimus sermo est, cui & rectus ordo, & apta junctura & cum his numerus opportune cadens contingit.* Erant autem ut plurimum in observandis numeris adeo superstitionis Poëtæ, ut sensum rationemque sæpius neglicerent. Quintil. l. c. *Verbo sensum cludere, multo, si compositio sic patiatur, optimum est: in verbis enim sermonis vis ineſt: Et si id asperum erit, cedat ratio numeris.* Hujus furfuris erat & ille, quem Persius hoc versu ex adverso dicere facit. Legendum vero censeo addita, non ut plurimi Codices habent abdita. Inde lux v. 78. 79. hujus Sat. I.

*Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve severos
Effundat junctura unguis.* - - - - -

Sed numeris decor est) Quintilian. *Ineſt tamen compositioni decor.* Horatius. *illis tantum accedet honoris.*

v. 93.

Claudere sic versum didicit:) Id interpretes fere omnes, quasi de consulto intelligunt de versibus Rhythmicis, cum duorum versuum ultimæ dictiones eodem modo desinunt; propterea magnus ille Scaliger contra plurimorum Codd. fidem vocem Attis in Attin mutavit ut τῷ Delphin, qua voce sequens clauditur versus, responderet: dixerunt quidem veteres etiam in nominandi casu

Attin; ast ratio illa, qua stimulatus emendatione hanc tentavit nullius ponderis est: nil enim hic quicquam de Rhythmis: *Horat. Lib. I. Eclog. 4. v. 39. 40.*

*Primum ego me illorum dederim quibus esse poetas
Excerpam numero; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis.*

& *Libr. I. Eclog. 10. Vers. 59. 60. 61.*

*ac si quis pedibus quid claudere senis
Hoc tantum contentus; amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cenatus*

item. *Libr. II. Ecl. 1.*

*me pedibus delectat claudere verba,
Lucili ritu*

Quare non probo doctam hanc Scaligeri sedulitatem, qui illud *Attis* in *Attin* mutavit, ut Rhythnum exsculperet.

Berecynthius Attis) in hunc modum *Prudentius contra Symmachum. Lib. II. v. 51.*

*Cur Berecynthiacus perdit truncata Sacerdos
Inguina, cum pulchrum poesis castraverit Attin?*

& in tabula marmorea apud *Lipsum* fol. CXXIV. 8. dicitur *Phryx.*

**QVI. COLITIS. CYBELEN. ET. QVI.
PHRYGA. PLANGITIS. ATTIN.**

Dicitur autem *Attis*; *inis*, & *idis*, utrumque in antiquis Saxis habetur.

Et

Et qui cœruleum dirimebat Nerea Delphin.) Plurimi Commentatorum hunc versum ab ultimis verbis præcedentis versus quasi non cohærentem distinguunt : quo jure , quave injuria equidem ignoro : ipse ego conjungendos censeo : quippe videntur alludere ad notissimas illas fabulas Attidis & Arionis , de quibus *Apulej.* L. VI. Credimus etiam exemplo tuæ veritatis & Phryxum arieti supernataſſe & Arionem Delphino gubernatſe.

v. 55.

Sic costam longo subduximus Apennino.) Omnes impressi Codices ita constanter legunt , etiam Pseudo - Cornutus hanc lectionem probat. Incidi tamen forte fortuna in Exemplum Persiarum Satirarum ex editione Aldi , cuius margini Vir subacti ingenii & multijugæ Eruditioñis *Vadianus* propria manu nonnulla adlevit : Is ad hunc versum sequentia adnotavit : *Tres manu excarati Codd. quos consului , in hunc modum legunt :*

Sic os tam longo subduximus Apennino.

quo sensu hariolari non licuit : Animum subiit , Manuscriptos illos Codices continua junctisque litteris ita scriptos fuisse : Sicostam . forte legendum : Sic nos tam longo &c. nil tamen heic temere mutabo. Quas vero Scholiaſtes antiquus & post eum interpretes comminiscuntur allegorias de syllaba una ex heroico versu subducta , facessant.

v. 96.

Arma Virum) pro Virgili Aeneide positum , ut recte *Marcilius* observavit. Sic *Ausonius* de infausto Grammatici matrimonio :

*Arma Virumque docens atque Arma Virumque peritus,
Non duxi uxorem ; sed magis arma domum.*

Nonne hoc spumosum & cortice pingui) Omnes
quos consului interpretes hunc versum tribuunt
Patrono carminum vulgarium ; & censem , Vir-
gilio objici nimium verborum sonum & tumo-
rem , quod orationis vitium Persius in versibus
illis , ex nescio cujus poetæ carminibus allegatis ,
tralocutus damnaverat ; hoc sensu : Aeneis Virgi-
lliana , quam deperdite amas , nonne ea est tur-
gida atque sonora ? nonne eodem plane laborat
vitio , si vitium hoc est , quod in versibus illis
Berecynthius Attis &c. nauseas ? Sed observandum
est , quod ex sententia Patroni illius carminum
vulgarium , oratio concinnitate numerique suavi-
tate contexta , quaem esse Virgilii carmen con-
tendit , male diceretur spumosum & cortice pingui :
Is enim hoc dicendi genus pro Sublimi habet.
Ut alia nunc taceam . Satis enim ex his loquendi
formulis , quibus utitur , patet , Virgilii carmina
taxari tanquam spumosa & dura , id est , ex ip-
sius mente , non satis tenella & numerosa : ex
antithesi probaturus inesse quendam numeris de-
corem . Sic Sidonius Apoll. *Summa homini cura
de litteris , sed maxime religiosis , in quibus eum ma-
gis occupat medulla sensuum , quam spuma verborum.*
Iisdem translationis generibus usus , sensum cum
medulla , verba cum cortice & spuma compa-
rando . Plurimi Persii ætate , qui leves tantum
numeris , aptamque verborum juncturam secta-
bantur , mascula Virgilii carmina vilipenderant ,
quod suo tempore Ovidius a nonnullis tentatum
esse indicat . L. I. de Remed. Amor.

*Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguae,
Pertulit huc viatos quo Duce Troja Deos.*

v. 97.

Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.) Horatii Scholiares Porphyrio ad L. I. Serm. hunc versum citans legit *vgrandi*, quod non valde grandem sed minimum notat: consule sis hanc in rem A. Gellium. Scripti tamen Libri omnes & Servius ad Virgilium constanter retinent vulgatam Lectionem. Omnis interpretum turba Persium hæc verba dicere faciunt: nec dissentiant in exponendo hujus versus sensu: dicunt enim ἐγοντως hanc a Persio prolatam esse respositionem: *Vult*, nimirum R. Bentleii verba sunt ad Horat. L. I. Ecl. 2. v. 129. *Virgilii Stilum nihil inflatum & exasperatum, nihil corticis suberisque habere, sed totum esse de duro & solido labore.* Male. Nullus hic ironiae locus: Comparatur Maronis eloquentia cum ramo annoso & prægrandis corticis durique, cuius medulla exaruit & humores, qui rami vitam constituerent, solis calore dissipati sunt: Quare hæc verba Patrono mollium versuum, sermonem continuanti, danda esse censeo.

v. 98.

Quidnam igitur t. & laxa cervice legendum?) Verba sunt Poëtæ, quibus false irridet Patronum illum Maronis carminibus insultantem. Sic Mæcenas apud Senecam Epist. 114. *Incipitque suspirans, ut cervice laxa feratur.* Adducit Caſaubonus locum Firmic. Matern. contra Gentes: *Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti vestibus, vix caput laxa cervice sustentunt.* Ego & hic legendum censeo la-

oca cervice quod descriptam effæminatam mollitatem
mire auget: apprime hoc facit locus Quintiliani
L. I. J. O. c. 18. Observandum erit etiam, ut re-
cta sit facies dicentis, ne labra detorqueantur, ne im-
modicus hiatus rectum distendat, ne supinus vultus, ne
dejecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix &
Lib. XI. c. 3. Cervicem erectam oportet esse, non
rigidam aut supinam. Sic & Terentius Heautont.
Act. II. sc. 3. v. 130.

Ego te autem novi, quam esse soleas impotens:
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.

Cuncta hæc sunt impotentis amoris signa & mol-
litiei indicia: non ut Eugraphius mallet, jactantiae
& superbiæ. Doctiss. Guyetus delet, & tanquam
spurios proscriptit binos ultimos versus. Atqui
priorem laudat Non. Marcellus. Bœclerus qui-
dem utrumque pro genuinis habet, sed in illis
explicandis sibi aquam hærere ingenue profitetur:
Inversa verba facile possunt explicari, sed eversas
cervices qui explanarit, eum ego putabo non vulgari-
ter sapere. Hoc unum est, ubi grammaticos pudere debuit.
An absurdum fuerit legere aversas cervices?
nam πληνδυριως efferri antiquitus, notius est, quam
ut hoc loco repeti debeat. Avertendi causa non absur-
de, evertendi nulla dari potest. Sed hæc attinguntur
nunc, non explicantur. Ego puto vulgatam lectio-
nem bene se habere. Inclinata cervix sive laxa,
mollitiei Venereæ signum. Eversa autem cervix
quid aliud quam inclinata. Contra aversa Cervix,
quod Bœclerus vellet, indignationis & contem-
tus index est. Plinius. Paneg. c. 34. Delatorum
supina

*Supina ora, retortasque cervices. Festive admodum
ludit Comicus in vocibus inversæ & aversas.*

v. 99.

Torva mimalloneis implerunt cornua bombis)
Sic Ovidius. Metam. L. III. 7.

- - - - festisque fremunt ululatibus agri.

Bombus quid sit explicat Apulej. Florid. L. I. Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit: primus duas tibias uno spiritu animavit, primus laevis & dextris faraminibus acuto tinnitu & gravi bombo concentum musicum miscuit. Cœterum ad explicanda hæc verba non meas, sed Doctiss. Viri, mihi conjunctissimi CASP. HAGENBUCHII animadversiones proferam, quas in quadam ad me Epistola exposuit: „ Expressum, inquit, hoc e Catullo, ut Casau- „ bonus jam monuit. Catulli versum illum resti- „ tuit ex Mediolanensi exemplari Is. Vossius. p. „ 226. hunc in modum

Multi raucisonos efflebant cornua bombos.

„ ante erat efflabant. Cornua. i. e. per cornua.
„ Efflabant, quia flebilis cornuum sonus quoad
„ homines, sed & bruta: hinc quia Nero ex-
„ pressit, videndum, si non & in Persio legen-
„ dum

Torva mimalloneos efflerunt cornua bombos.

„ efflerunt eo sensu inusitatius, unde in notius
„ implerunt abiit. Mimalloneos bombos pro auferen-
„ di casu; ita & in Catullo διττογραφίᾳ nunc
„ raucisonos bombos, nunc raucisonis bombis habet.
„ Quin

„ Quin & Scaliger ita invenerit suo in libro oportet: citat enim in Catull. p. 102. edit. Græv.

Torva mimalloneos implerunt cornua bombos.

hæc ille. Passeratius etiam ad Catulli citatum locum Persii hunc versum ita legit.

Torva mimalloneis inflarunt cornua bombis.

Et certe duplex illa Amicissimi Viri conjectura non est præter viam: Prætulerim ego *Mimalloneos bombos*. Suspicor enim temere hæc auferendi casu *mimalloneis bombis* reddita esse, ut versu illi alteri qui in *corymbis* terminatur responderet. Mire ingeniosi homines qui *Rhythmos* hic venantur.

v. 100.

Et raptum vitulo caput ablatura superbo.) Quid si & hunc versum μηντει a Nerone ex Catullo traductum statuamus; in Catullo priorem versum 6. tantum lineis antecedit hicce

Pars e divolso jaclabant membra juvenco.

Si utrumque imitatus Nero Catulli versum, utriusque rhythmum retinuit. Hæc bene monet laudatus Amicus. Legitur in nonnullis Catullianis codicibus *raptabant pro jaclabant*. Quod conjecturam hanc adhuc firmat.

Et raptum) Doctiss. *Marcilius* suspicatus est, forte aliquid esse immutandum, Neronem forte scripsisse & *raptim*. Levis mutatio, quam tamen omnes, quod sciam, codices respuunt. Habent nonnulli pro eo & sectum, quod ego quidem vulgatae Lectioni prætulerim, ita *Seneca* *Con-*
trov.

trov. VII. citante Marcilio. *Humerotenus recisum amputa caput.* Fingit quidem Euripides Bacchæ *χειρος αστιδηγου μετα*, cum manu non armata ferro, ut est ap. Casaubonum. Verum Catullus. l. c.

Horum pars tecla quatiebant cuspide thyrsoes.

Gerebant hæ thyrum cuspide tecla: puta manum ferro armatam. Sic Ovidius Metam. L. III.

Pampineis agitat velatam frondibus hastam.

Exhibit Begerus in Dialog. de III. prioribus Tomis Thesauri Antiq. Græcarum p. 13. monumentum, quo ut opinatur, repræsentantur Bacchæ hinnulum secantes: & Gronovius Thesaur. Antiq. Græc. Tom. I. Litt. C C. alterum habet, in quo extat Agave Pentheum filium dilacerans.

Caput ablatura) Sic Ovidius de eodem actu tragico verba faciens Metam. L. III. 10.

*dextramque precanti
Abstulit: Inoo lacerata est altera raptu.*

Vitulo superbo) Antiquus Scholia fest Pentheum hic significari autumat, Agaves & Ethionis filium, quem mater furore correpta sub imagine vituli trucidavit. Sequuntur hunc omnes interpretes, ipse etiam Casaubonus inductus maxime voce superbo. Sed fallitur unus & item alter: Pentheus non vitulus, sed homo certe fuit, non in vitulum mutatus, quando diripiebatur; & matri Bachi Agave aper visus; vel ut Euripidi place. leo. Bacch. Act. V. non vitulus: Ovidius Metam Lib. III. 10.

*Prima suum missō violavit Penthea thyrso
Mater; Io, geminæ, clamavit, adeste sorores;
Ille aper in nostris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus Aper: ruit omnis in unum
Turba furens.*

Præstat igitur ut hæc interpretemur, maxime si, ut conjecti, Catullum secutus Nero, de vitulo οὐταρχεῖ, cui caput elatum gerenti illud facilius raptum aufertur a Bacchantibus: nostis Plautum: *Faciam te hodie superbū;* pro pendulo seu elato.

v. 101.

Bassaris) Liberi Patris cognomen; hic pro Baccha positum. Critici in diversa abeunt in definiendo hujus vocis etymo. Vide sis Pseudo-Cornutum. Bochartus *Bassareum* autumat recte explicari per Ἀeliani ποτηγυν, cum Bassar Ebreis sit idem quod Græcis τρυγαν, vindemiare. Alii a Graeco βαζειν, clamare, accersunt. Ego in Begeri sententiam discedo, qui *Thesaur. ex Palat. Select. p. 32.* iis assentitur, qui a longiore palla, quæ Bassaris dicebatur, deducunt. Hac enim & ipse Bacchus indui solebat, & Bacchi ministrae, quas proinde & ipsas Bassarides dictas novimus: consentientes habemus *Acronem* & *Porphyrium*. Quisque abundet suo sensu. Exhibit Begerus l. c. Baccham longa palla indutam, quam vide sis.

v. 102.

Reparabilis adsonat Echo) Ovidius *Metamorph.* Lib. III. 6.

Planixerunt Dryades; plangentibus adsonat Echo.

Et

Et superius paulo egregie quasi in hæc verba
commentaturus :

*Quæ tamen, ut vidit, quamvis irata, memorque
Indoluit: quotiesque puer miserabilis, Eheu
Dixerat, hæc resonis iterabat vocibus Eheu!
Cumque suos manibus percusserat ille lacertos;
Hæc quoque reddebat sonitum plangeris eundem.
Ultima vox solitam fuit hæc spectantis in undam,
Heu frustra dilecte puer: totidemque remisit
Verba lucus, dictioque Vale, Vale, inquit & Echo.*

Nec pluteum cœdit, nec demorsos sapit ungues) Ex Quint. L. X. Inst. Or. c. 3. discimus Flaccum his verbis leviter dicendi genus significare. Non male antiquus Scholiaſta: *Et est sensus;* Quomodo potest esse sensatum carmen ſcribentis, cum ingenium levitatem non pondus sequatur? quod nec diu cogitatum est, nec factum manu querentis aliquid mirificum afferre. Pluteum cœdere, est proditor gestus animi affectuum cœstro perciti, prærodere ungues, meditantis ecstatiči est.

§. III.

Expositis hactenus Criticis Animadversionibus,
subjugam integri hujus membra Persianæ Satiræ
Paraphrasin juxta mentem meam.

v. 88.

*Men' moveat quippe & cantet si naufragus, aſſem
Protulerim; cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes: verum, nec nocte paratum
Florabit, qui me volet incurvasse querela.*

Tom. II.

Dd

Perſius.)

Persius.) Qui me volet ad misericordiam incurvare (1.) non fictis lacrulis flectet, (2.) non tenera fractaque cantilena, (3.) nec querela multis lucubrationibus parata, figuris & verborum fucis exornata, sed ex intimo miseriae sensu profluente. Vult nimirum Persius orationem non juxta Rhetorum figuras & præcepta esse effingendam, natura rerum neglecta: sed orationem, omnemque oratoris habitum, vultum, gestus, vocem, ad Naturam esse componenda.

v. 92.

Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.

Familiaris Persii.) Sed quanquam videaris omnem compositionis curam excludere, haud tamen diffiteri poteris inesse numeris tacitam vim & juncturam aptam crudæ adhuc indigestæque materiali additam, orationi decorem afferre; poëma enim & aurium mensura & similiter decurrentium spatiorum observatione, non potest non esse canorum atque adeo gratum. Semper comitatur artem decor.

v. 93.

*Claudere sic versum didicit : Berecynthius Attis
Et qui cœruleum dirimebat Nerea Delphin;
Sic costam longo subduximus Apennino.*

Persius.) Evidem non plane damno omnem compositionis curam, sed nolo omne tempus dimetiendis pedibus ac perpendendis sillabis consumatur, relicto rerum pondere, quod plurimi hoc ævo factitant, quorum poëmata quid aliud sunt quam nugæ canone.

- - - quod

quod acer spiritus ac vis
*Nec verbis, nec rebus ineſt, niſi quod pede certo
 Differt sermoni, ſermo meruſ.*

Sic exempli gratia, quidam Poëtarum carmen ſuum magno labore pedibus instruxit, addita junctura exornavit; quod, si juncturam ſolveres & juxta Horatianum consilium in membra ſua diſiſceres, plane nullum, certe ineptum ſenſum funderet: hujus ſequentes ſunt verſus: Berecynthius (*Phrygius*) Attis & Delphinus animata Arianis navis, ut cœruleum Nerea (*mare*) dirimebant; Sic nos tam longo Appenino ſubduxi muſ. Observa hic: Audaces metaphoras, comparationem ineptam, verborum ſucum, fabulosæ antiquitatis affectationem, orationem numeroſe fluentem, juncturaque ſedulo expolitam, ſenſum nullum.

v. 96.

*Arma virum: nonne hoc ſpumofum & cortice pingui
 Ut ramale vetus prægrandi ſubere coctum?*

Familiaris.) Quid ergo ſentis Persi de Aeneide Virgiliana? nonne ea tibi videtur ſpumofa, affectata & inculta plane? nullam deprehendes inibi artem, nil ſponte fluit, dura omnia & aspera, ut annosus ramus prægrandi cortice duroque diuturno ſolis calore exſiccatus & arefactus: Si Virgilius numerorum juncturæque magis ſollicitam curam habuiffet, non iuſuſa adeo eſſent ipſius carmina: Quidni in numeris decorem quæramus?

v. 98.

*Quidnam igitur tenerum & laxa cervice legendum?
Torva mimalloneos efflerunt cornua bombos,
Et sectum vitulo caput ablatura superbo,
Bassaris & Lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat ; reparabilis adsonat Echo?*

Persius.) Dignitatem illam masculam & mi-
ram elegantiam Carminis Virgiliani non perspi-
cis, nec etiam perspicere aptus es : quoniam mol-
le quid & effeminatum tantummodo sectatis,
quale Virgilii carmen non est : Quidnam igitur
est tenerum ? Si Virgilii illud durum est ? Scilicet
sequentes versus teneri erunt & ad palatum tu-
um delicatum : *Torva mimalloneos*, &c. hoc est :
Flebili sono festisque bombis implerunt aëra,
& Bacchans caput vitulo *ὑλαρχεῖ* auferebat ; &
Mænas (*furens Liberi sacerdos*) cum lyncem (*ani-
mal Baccho sacrum*) hedera quasi freno flectere vel-
let, ingeminat : Evion ! (*Liberi Bacchi cognomen*)
redit sonum Echo & reparat. *Persius indignatione
abreptus pergit :*

v. 103.

*Hæc fierent si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis ?*

Ejus generis inepta & affectata non scribe-
rentur carmina, nisi degeneres avitæ virtutis &
aspiditatis vacui essemus. *Distinctius autem expo-*
nit quid potissimum in hisce Anonymi Poëtæ versibus re-
prehendat :

v. 104.

- - - - *Summa delumbe saliva
Hoc natat in labris & in udo est Mænas & Attis,
Nec pluteum cœdit, nec demorsos sapit ungues.*

Tria

Tria maxime ridet. 1.) Hoc carmen durissimi soni verbis contextum & flebile adeo lasciva & enervata voce eliquatur, ut natare in summis labiis recitantis videatur, & Mænas Attisque argumenta tragica in udo ore sunt. 2.) Versus hi sunt inopes rerum, nugæque canoræ, affectata omnia & grandinsona, non ex affectuum imo sensu promanantia; hinc non miror, quod nec mulceant pectus, nec inaniter angant, nec falsis terroribus impleant. 3. Nullam curam posuit auctor in scribendo, non sapiunt longam meditationem: sed crudos protrusit in forum; turpem enim putat in scriptis, metuitque litturam: & cum levem tantum venatur famam, sufficit res ex medio arcessitas, absque multo sudore pedibus concludere.

*Nanciscetur enim pretium nomenque Poëtae
Si tribus Anticyris caput insanabile, numquam
Tonsori Licino commiserit. - - - -*

F E L I C I T E R.

DISQUISITIO III

in qua
A. PERSIUS ab ἈΚΡΙΣΙΑ
Vindicatur
a G. J. VOSSIO objecta.

§. I.

Extra controversiam est, Persium ridere e^c fusissime inepta illa carminum fragmina, quorum genuinum Auctorem ignoramus: Quo vero hoc factum sit jure, quave injuria, id hujus Disquisitionis argumentum erit: Nec enim desunt, qui Persii nostri Crisiⁿ supinæ arguant malitiæ.

§. II.

Hujus commatis est vir πολυμαθεστατος G. J.
(a) VOSSIUS in Libro de Vett: Poet. Temporibus: In Neronis, inquit, temporibus ex desperditis ipse est Nero, qui non laudem modo Poeeos affectavit, ut velle videntur Persius, Tacitus ac Suetonius; sed egregius omnino Poeta fuit, ut non modo Seneca ac Martialis judicium est, sed pauxilli versus indicio sunt, is quem Seneca laudat, & quos Persius ridet, suis meliores; atque alii apud Grammaticos.

§. III.

(a) Vossius de Poët. Temp. Lib. II. pag. 43.

§. III.

Ergo & Vossius illorum sententiæ accedit, qui Neronem versuum Persio citatorum Auctorem esse, extra dubitationis aleam positum existimant: quod ipsum tamen gravissimis ex rationibus in Disquisitione I. vocavi in dubium, omnibus illis, quæ pro Nerone Auctore afferuntur, argumentis dilutis. Ne vero videar hac evadendi rima responsionis subterfugium quærere, in primis cum ipse etiam in medio reliquerim, quis genuinus horum versuum Auctor sit; singula Vossii argumenta curatius pensitabo.

§. IV.

Provocat nim. Vossius ad *Senecæ & Martialis de Nerone Poëta judicia*: Ille in *Nat. Quæst.* (b) hæc habet: *Alioquin, ut ait Nero Cæsar disertissime.*

Colla cytheriacæ splendent agitata columbæ.

Scilicet eadem justitia laudavit Neronis eloquentiam, qua ejusdem Principis clementiam commendaverat. Ego hercle, nec præter me quisquam alias, cui sanum sinciput, ex versu illo posset colligere Neronem insignis Poetæ laudem quondam meruisse, frigidus est, diserti nihil, quod me præter solitum capiat: Quid quod Seneca Neronis præceptor & parasitus suffragii jure exueretur, si de eruditione Principis essent colligendæ sententiæ. Alter, quem citat Vossius

D d 4 Nero-

(b) *Senec. Q. N. Lib I. cap. 5.*

Neronianæ Poeseos æstumator (c) *Martialis* est.
Libr. VIII. de Nerva :

*Pieriam tenui frontem redimire corona
 Contentus, famæ nec dare vela suæ,
 Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum
 Carmina qui docti nota Neronis habet.*

Ut & *Libr. IX. (d)*

*Ipsæ tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
 Lascivum juvenis cum tibi lusit opus.*

Quid exinde Vossius? Dicit Martialis nonnisi,
Coccejum insignem, sed & modestum fuisse vatem,
cujus acre judicium Nero quoque carminum artifex fuerit formidatus, quemque alterum Tibullum vocitarit: ut taceam Martialem egregium virum in vocum significationumque lusibus, nugivendulum, nec peritum satis, nec iustum genuinæ Poëtices dignitatis æstumatorem esse vel judicem.

§. V.

Alios ego producam omnium suffragiis & æquiores & peritores arbitros (e) C. Tacitum de Neroni in hunc modum perorantem: *Carmen quoque studium affectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas, neclum insignis erat. Hi considerare simul, & allatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba quoquo modo prolatæ supplere, quod species*

(c) *Martial. Lib. VIII. Epigr. 70.*

(d) *Id. Lib. IX. 27.*

(e) *C. Tacit. Annal. Lib. XIV. 16.*

*Species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu,
nec ore uno fluens.* Equidem novi (f) Suetonium
dissentire in eo a Tacito, quod autumat Neronem
in pangendis versibus aliena opera usum
esse; nec ipse tamen Neronis carmina laudat:
*Ad poeticam, inquit, pronus carmina libenter ac sine
labore composita.* Quin ex hoc solo Suetonii testi-
monio de Principis eruditione poëtica feres judi-
cium, quando de illo refert: *A Philosophia eum
mater avertit: monens imperaturo contrariam esse:*
*A cognitione veterum Oratorum Seneca præceptor, quo
diutius in admiratione sui detineret.* Egregius meher-
cle vates, qui nulla philosophia imbutus & ve-
terum oratorum ignarus! iis adnumerandus, qui
concludere versum dicunt esse satis. His adde
(g) Plinium juniorem: *Et si non sufficiunt exempla
privata, divum Julium, divum Augustum, divum
Nervam, Titum Cæsarem: Neronem enim transeo,
quamvis sciam, non corrumpi in deterius, quæ ali-
quando etiam a malis; sed honesta manere, quæ sœ-
pius a bonis fiunt.* Habes judices certissimos, quod
Nero laudem poëeos infauste affectaverit.

§. VI.

Verum propriæ de illo non controvertimus,
an Nero egregii vatis laude dignus sit censitus:
de eo potius quæritur, num versus Persio citati
acerbam adeo crisi meruerint? quod quidem
*Vossius negat, omnino, dicit, poeta fuit, ut pau-
xilli versus indicio sunt, quos Persius ridet, suis me-
liores.*

Dd 5

(f) Videsis Sueton. in Nerone. cap. 52. Confer. Fr.
Gronov. in not. ad Tacitum loc. cit.

(g) Plinius. Libr. V. Epist. 3.

liores. Quis contra mutire ausit , a tanto viro
tanta pertinacia assertum ? licebit tamen , quod
præfiscine dixerim , exactius hoc inspicere ora-
culum , & limatus excutere , quid in versibūs
illis creta , quid obelo notandum sit.

§. VII.

Berecynthius Attis
*Et qui cœruleum dirimebat Nerea Delphin ,
Sic costam longo subduximus Appennino.*

Persii ætate provenit corrupti generis oratio &
in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta est :
viguit & inflata explicatio , & infracta in morem
cantici ducta. Quorundam non erat compositio ,
modulatio erat , sententiæ nimis dulces , quæ in
vanum exeunt & sine effectu , nihil amplius quam
sonant : alii audaces sensus , fidemque egressos ,
portentosissimæ orationis delicias captarunt. Hos
Persius multo sale defricuit prima sua Satira , ver-
sus etiam aliquot ejus generis citans , quos tan-
quam ventosæ loquacitatis specimen ridet. Et
digni sunt omnino hi versus censura , quicquid
ogganniat magnus Vossius I. Ridiculæ sunt auda-
ces illæ metaphoræ contra omnium consuetudi-
nem positæ , cuius commatis hæc est : *Dirimere*
cœruleum Nerea : ut egregie observavit Vir Illu-
striss. (h) *Silvester h. l. Così nel seguente verso chi*
non vede , che il dirsi il Delfino partiva , o fendeva il
ceruleo Nereo , ch'è un Dio marino , finto da Mitho-
logi

(h) Cam. Silvester Annotaz. alla Satir. I. v. 93. p.
769.

logi figlivolo dell'Oceano, e di Teti, in vece di dirsi il Delfino nuovata pe'l mare, è lo stesso, che se diceffimo l'aratro divide Opi, in luogo di dire l'aratro fende la terra, ovvero la scure recide le Driadi, o le Napee, in cambio di dire la scure talia le selve, perchè quella fu per Dea della Terra, e queste vennero per Ninfe de' Boschi rauvigate. &c.

II. Obelo digna utcunque inepta illa Translatio: *Ut Delphinus dirimebat mare, sic nos subduximus costam longo Appennino.* Non diffiteor esse plurimos commentatores, qui illud sic non pro comparationis nota habent, sed potius ita explicant: *Sic: hujus commatis est & hic versus: Costam longo, &c.* Verum nil obstat, quominus hunc cum præcedente versu vocula comparationis sic conne-xum asseramus, quam sententiam tuetur quoque Casaubonus. Ridet etiam Lucianus ineptas hujus notæ translationes in Lexiphane: (i) Ἀλογίσεν ήμιν ἐπιταττεῖς ὡς ἀσομοις θοι, καὶ ἀπεγγλωττισμένοις. Ἐμοι δέ, ή &c. An tu silentium nobis im-peras, tanquam ore carentibus & lingua privatis? mihi vero lingua jampridem dicturit, adeoque jam animo provehebar, quasi antiqua quædam vobis narraturus, & lingua vos omnes abluturus. Sed tu mihi perinde fecisti, ac si quis navem onerariam, tribus instruetam velis, secundo vento navigantem, implentibus linteis nothis prospere labentem. perque summos fluctus euntem, retinaculis ancipitibus, anchoris ferreis, navalibusque pedicis demissis retineat.

Cum

(i) Lucian. Λεξιφαν. pag. 833.

Cum enim translationum n̄sus tantum sit, in ejusmodi rebus, quæ luce opus habent, manifestum est inepte illas adhiberi in rebus levibus & per se claris; quid quod ridicula adhuc magis efficitur oratio & enormis, si res grandes cum levissimis conferuntur, & ita translationis jure utimur invercunde, quod fecit Poëta, cuius carmina Persius noiter carpit. III. Inepte turgida est & hæc dicendi ratio: *Longo monti subducere costam*; ut hoc quoque observavit V. Illustr. C. Silvester: (k) *Da qualche Poëtastro de suoi tempi, in vece di dire, che si avesse schiantato un pezzo di rupe, o di rocca dalla falda dell' Appenino; fu detto, aversi a quell monte sottratta una costa.* IV. Denique orationis vitium est affectata numeri & juncturæ concinnitas; cuius argumentum spondæus in quinta sede locatus, & vox illa polysyllaba *Apennino*, qua versus clauditur, & quæ teste *Quintiliano Libr. IX. cap. 4. carmen molle efficiunt & effeminatum.* Concludimus ergo Persium jure merito censoria notasse virgula versus illos Poëtæ nescio cuius, tanquam nugas canoras, quibus nimia soni & concinnitatis verborum, nulla subjectæ sententiæ sit habita ratio, quique εξω τε παλαιγς των ονοματων ἐδειλι. Animadvertis equidem V. Ill. Silvester aliud insuper vitium in epitheto illo Attidis, qui *Berecynthia* dicitur: nimirum existimat, hoc epitheton improprie Attidi tribui & contra Analogiam; quasi Endymiona cognominares Cintium, utpote a Luna

(k) Silvester. I. Supra cit.

Luna deamatum: Leve tamen hoc, si omnino,
est vitium; dicitur enim *Ovidio* (l) *Cybelejus Attis*, quid hoc aliud, quam Berecynthius: in hunc
sensum & *Horatio* dicitur, *Berecynthium cornu*.

§. VIII.

Torva mimalloneis implerunt cornua bombis;
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem mænas flexura corymbis
Evion ingeminat, reparabilis adsonat Echo.

Neque hoc carmen ingenuum est, & fani coloris: Pigmenta sapit & adscititos fucos: nil omnino agunt illi qui Persium *angustias* damnant. (m) Cum assuevit animus fastidire, quæ ex more sunt, & illi pro sordidis solita sunt; etiam in oratione quod novum est, querit: & modo antiqua verba atque exsoleta revocat & profert: modo fugit, & ignota deflectit; modo id quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio ac frequens, verba sunt appositissima *Senecæ*. Ast hac ratione, inquis, & *Catullus* ineptiarum censetur, quem Poëta *Anonymous* in illis versibus est imitatus: verum hunc scrupulum meo nomine tibi eximet *Seneca*: (n) *Sallustio vigente, amputata sententia*, & verba ante expectatum cadentia & obscura brevitas fuere pro cultu. *Arruntius vir rara frugalitatis*, fuit *Sallustianus*, & in illud genus nitens.

(l) *Ovid. L. X. Metamorph. Horat. L. I. od. 18.*(m) *Seneca. Epist. CXIV.*(n) *Senec. l. e.*

tens. *Est apud Sallustium: Exercitum argento fecit; id est, pecunia paravit. Hoc Arruntius amare capit: posuit illud omnibus paginis.* Totus his contextitur liber. *Quæ apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, & pene continua, nec sine causa: ille enim in hac incidebat: at hic illa quærebat. Vides autem quid sequatur, ubi aliqui vitium pro exemplo est, &c.*

§. IX.

Carpit V. C. Casaubonus in his versibus quoque ex mente Persii ineptam Rhythmi affectationem: videtur id ipsum Persius indigitare in versibus, qui hos sequuntur. Verum qui contendunt acutius cernere, prævident, hac ratione ipsum in propria sævire viscera, utpote qui eodem, quod tralocutus damnaret, vitio laborat; cui versus rhythmici non adeo infrequentes sunt:

Sat. I. 49.

Eliquat & tenero supplantat verba palato.

Sat. V. 29.

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

ut & 113.

Hæc mea sunt teneo, cum vere dixeris esto.

Et aliis locis passim. Animadvertisendum tamen est, Persium taxare hanc carminis concinnitatem, eam ob rationem; quod studio & arte sit quaesita, in argumento tragicó, cuius finis non est molles implere auriculas, sed terrorem incutere & pectus inaniter angere; nec ergo sine discriminé omnes prorsus

prorsus hujus generis versus respuit Flaccus noster.
Peccat unus & item alter, qui superstitione ultro
oblatos rhythmhos, eo solum nomine evitat, &
qui eosdem studiose venatur, tanquam carininis
ornamenta. Hactenus Persio reddidi fidem.

§. X.

Ad texam mantissæ loco Ecphrastæ Marmelii Sa-
tiram ad h. l. *Quid si nunc viveret Persius, & e-*
Christianis tot levissimos versificatores videret, nul-
lum carmen arte maturantes, sed inani studio in-
conditissima quædam epigrammata effutientes, quæ
tum putant optima, cum sint inanibus fabulis & af-
flectatis nugis: vel parum notis aliquot voculis, vel
anxie quæstis, & ad institutam rem parum facien-
tibus pigmentis fucisque refertissima? in horum ore
nil nisi Pegasides, Bacchus, Cypris, Parnassus,
Helicon, Juppiter, Apollo, Mercurius, Sphinx,
Chimera, & id genus alia centum perstreputunt. Et
quid de Germaniæ nostræ vatibus dicam? quos, ut
plurimum, si quis legit, nauseat; si quis corrigit,
delet: Sapiunt omnino illorum versus præmorsos
ungues, id volui innuere magnam vanitatis curam
& inanem pompan: Tesserulas, ut ait Lucilius,
struunt, & vermiculate inter se lexeis committunt,
male ingeniosi homunciones: consenescunt in per-
quirendis & perpendendis Rhythmis, id est ut Ho-
ratius habet, ludunt par impar. Quanquam V. C.
Casaubonus videatur agere rhytmorum patronum,
cosque antiquitatis nomine commendare; nihil-
minus

minus jure merito a Viris Probris *Societate Pictorum Tigurinorum* missi sunt in exilium ultra glacialem Oceanum. Videantur die Discuse der Mahler. Tom. II. Disc. V. (*)

EXPLICIT.

(*) Potest etiam in hanc rem videri Clariss. MEIERI Prof. Halens. *Disquisitio de Rhythmorum pretio*, quæ præmissa est Clariss. itidem Viri LANGII Lyricis carminibus superiore anno editis.



VITA

VITA

(*) CHRISTIANI URSTISII,

*Artium Mathematicarum, dein S. Theologie in Basiliensi Academia Professoris,
tandemque civitatis tabulario præfecti;*

Scripta a

JAC. CHRISTOPHORO ISELIO,
Basilensi, S. Th. D. & Prof.

Magnis eximiisque viris, qui ab omni memoria intra brevem terminum vitae dignos fese sempiterna gloria præstitere, &, cum gravissimis laboribus pro re publica susceptis atque toleratis spatum hocce mortalis ævi, quod quidem ad vivendi tempus attinet, sibi ipsi quodammodo contraxissent coarctassentque, jacturam ejusmodi celebritate nominis in perpetuum duratura pensarunt, ac vere, quod Poëta ait, Tom. II. Ee vitam

(*) Misericordia hanc Vitæ Urstisii descriptionem Vir Cel. ad G. C. Johannis, Gymnasii Bipontini Professorem ac Rectorem Cl. sub exitum a. 1725. Cogitabat eo tempore doctiss. Johannis de recudendis scriptoribus Hist. Germ. quos Urstisius collectos ediderat, iisque hanc enarrationem præfigere statuerat. Quum vero illa Urstisianorum scriptorum nova editio, nescio quo malo fato, in spongeam incubuisse, non æquum est visum, ut elegans libellus in scriniis vel in carcere detineretur: Cum & ipse Urstisius, & auctor digni videantur, quorum memoriam omnes pii eruditique colant. J. C. BECK.

vitam extenderunt factis , adnumerandus quoque
 sine dubio est *Christianus Urstius* , qui non magis
 de Basiliensi Academia , in qua ante sesqui tæ-
 culum vixit ac floruit , quam de optimis litteris
 atque disciplinis insigniter meritus est . Editus is
 in lucem fuit Basileæ paullo post auspicia Anni
 a C. N. CICEROXLIV. Patre Pantaleone Urstio ,
 viro spectatæ integratatis , & qui in senatum hujus
 Urbis adlectus eum locum non sine dignitate ad
 finem vitæ tuitus est : id quod eo quidem tempo-
 re haud perinde cunctis , ut quisque semel in am-
 plissimum locum erat lectus , in Helvetiæ civita-
 tibus , quippe Senatum quotannis noviter sibi le-
 gere & creare solitis , obtingebat , prout hac
 ætate nostra fieri communiter videmus . Quin-
 immo neque litterarum plane rudem hunc fuisse
 Pantaleonem Urstium , certe veteres historias , ut
 poterat , diligenter attenteque legisse , adnotatio-
 nes quædam arguunt atque observationes ad hi-
 storiam pertinentes , quas ex antiquis quibusdam
 Chronicis , quanquam vernaculo sermone scriptis ,
 ipsem excepit , ac litteris mandavit , filius au-
 tem deinceps , hic ipse cuius vitam exponimus ,
 spiso Volumini hujuscemodi fragmentorum ,
 undiquaque collectorum & conquisitorum , ut
 institutis rerum Rauricarum Commentariis mate-
 riem præberent , sibi censuit inferendas esse , &
 hujus sui Parentis diligentiae deberi suamet manu
 in prima charta declaravit . Ipsa Gens Urstiorum
 ab ultima , vel certe longissima origine , quæ
 quidem repeti memoria possit , stirpis Basiliensis
 est , ædesque non ignobiles ab arcendo vel coh-
 bendo incendio dictas (vernacule zum Schalten-
 Brand) sitas in longissima urbis via , quæque
 eam

eam veluti medianam intersecat , multis annis te-
nuit. Nomen ipsum , quod latine scribentes
nonnulli a germanica pronuntiatione inflectimus,
addita una littera *Wurſiforum* fuit ; unde & *Chri-
ſtianus* noster pro multorum ejus tempestatis do-
ctorum hominum consuetudine græce ad verbum
reddens sese in juventute *Allaſſiderum* (*) appell-
avit. Illa igitur in Gente ac domo natus is ,
cujus vitam scribere aggredimur , animum a pri-
ma pueritia ad bonas artes appulit , eaque uſus
opportunitate , quam ipsi Patria suppeditabat
ſcholarum quidem puerilium ſpatia An
CICOLVIII emenſus eſt ; inde biennio poſt la-
ream artium liberalium , & iterum aliis duob
annis lapsis earundem disciplinarum Magisterium
more & ritu jam olim in Academias introducto
cepit ; non ſine inſigni laude , magnaue de ſe
in posterum concitata exſpectatione. Ex eo no-
men Sacris Litteris dedit ; ſed cum earum ſtudio
adeo diligenter tam omne genus Mathematicarum
Scientiarum , quæ quidem illa tempeſtate vel ex
libris peti , vel a vivis Doctoribus addisci po-
tentant , quam cuncti ævi historiarum investigatio-
nem conjuxit , ut , cum in ſingulis paucos
pares haberet , etiam ex hiſ , qui in iis ſolis elab-
oraverant , de ipſo tamen diſſicile dictu eſſet ,
eccuius disciplinæ de tribus cognitione atque in-
telligentia potiſſimum excelleret. Mathemata
quidem jam inde ab A. CICOLXV. vixdum
expleto anno ætatis uno & viceſimo publica au-
tori-

(*) Nomen compositum eſt ex 'Αλλας , farcimen , &
ſιδηρος , ferrum.

Etoritate in Academia docere cœpit , ei ipsi , quo
 fuerat Præceptore usus , *Johanni Acronio* , natione
 Frisio , suffectus . Ac tum quidem præter assi-
 duas recitationes , publicas pariter atque domesti-
 cas , quibus ipsum cupidæ harum pulcherrima-
 rum artium juventuti maximos uberrimosque fru-
 etus attulisse accepimus , etiam libellos quosdam
 eodem pertinentes hoc in munere edidit ; veluti
Arithmeticam doctrinam , & *Quæstiones in Purbachii
Theorias Planetarum* . Qui libri longo deinde
 tempore Mathematicarum disciplinarum Professo-
 ribus in Basiliensi Academia materiem scholarum
 atque explicationum publicarum præbuere , tales
 que sunt omnino , ut iis lectis facile homines
 docti intelligent , quam non perfunctorie isto in
 studio versatus fuerit *Urtisius* , quam pauca eum
 fugerint in hisce artibus , quæ disci tum quidem
 poterant , denique quam non difficile ipsi fuerit
 futurum , cæteris suæ ætatis palmam eruditionis
 in illis præripere , nisi eodem tempore incredibi-
 lem diligentiam , & propemodum ante ipsum
 inusitatam in historiarum investigatione atque de-
 scriptione posuisset . Nimirum qui res omnis
 ævi memoratu dignas mature admodum perdi-
 cerat , ac omne genus auctorum in lucem edito-
 rum , e quibus aliqua pars hujusce notitiæ poterat
 hauriri , studiosissime pervoluntaratur , statuit pro se
 quoque amplificare exaggerareque ejusmodi dis-
 ciplinam , & , quem ipse ex aliorum monumen-
 tis atque commentariis cœperat voluptatis simul
 & utilitatis fructum , eundem suo pertinacissimo
 labore assiduisque vigiliis parare atque afferre aliis .
 Accessit singularis quidam erga Patriam affectus ,
 qui stimulos optimo viro atque civi adderet , uti
 ejus

ejus præcipue vetustas origines ac historias expli-
 care illustrareque aggredieretur. Opus erat ar-
 duum , ac ante id tempus ob summam difficul-
 tam , quam plerique in tanta paucitate veterum
 memoriarum atque monumentorum vinci ac su-
 perari posse desperabant , penitus desertum negle-
 ctumque. Sciunt , qui in Basiliensi , atque adeo
 Raurica , antiquitate non plane sunt hospites ,
 quanquam Urbs ipsa inde ab Hungarico excidio ,
 cum A. post C. N. ICCCCXVII gens ferocissi-
 ma atque omnis tum fere Europæ terror & cala-
 mitas ipsam evastavit ac in cineres redegit , nun-
 quam postea vi hostium capta atque intra moenia
 sua afflita fuerit ; tamen cœbris incendiis atque
 etiam tremoribus terræ cum incendio plerumque
 junctis , præcipue autem illo atroci acerboque
 casu , qui A. CICCCCLVI. [1356.] longe ac
 late circa Jurassum montem firmissima quævis
 ædificia miserabilem in modum partim concusserit
 evertitque , partim flammis ex ipsa domuum
 ruina , ut sit , enatis atque erumpentibus ma-
 gnam ac pæne præcipuam ejus partem simul exuf-
 fit & concremavit , ita omni copia veterum
 chartarum ac memoriarum , cum quæ universim
 ad civitatem pertinerent , tum quæ privatorum
 erant propriæ , nudatam ac spoliatam fuisse , ut ,
 nisi hæc egestas aliunde esset expleta , nisi vetu-
 stiores res Rauricas alia plane ratione ac via , aliis-
 que ex documentis homines docti ac seduli inda-
 gassent atque eruissent , seipsum , qualis vel ante
 tertium quartumve sœculum extiterit , necessario
 ad hanc diem fuerit ignoratura. Quapropter dici
 verbis non potest , quantum adhibuerit industriae ,
 quam graves ærumnas tolerarit , quot in partes

formasque sese vertere opus habuerit, ut huic penuriae succurreret, ac sic quoque perpetuam seriem historiæ Rauricæ contexeret, noster iste *Ursilius*. Vel sola profecto deformatio designatioque, non jam Operis ipsius dico, sed vel laboris tantum, sive ejus viæ & rationis, qua materies illa conquiri & parari deberet, e qua id Opus postmodum construeretur concinnareturque, quemlibet non valde constantem in proposito, aut voluptatem studiorum minus laboriosam paullum modo huic ærumnosæ & molestæ præferentem, in ipso limine adituque sine dubio absteruisse. Hic vero certus, nullum genus curæ, studii, laboris recusare, dum veritatem profundissime demersam erueret aliquando & in claram apertamque lucem proferret, quidquid usquam in Urbe atque circa Urbem tam apud Collegia sacra ac monasteria, quam penes quoslibet homines privatos supererat veterum chartarum, Diplomatum, memoriarum, commentariorum, Annalium etiam de rebus in hacce regione gestis, pertinaci assiduaque multorum annorum diligentia & sollertia plane singulari excusit excerptisque, tanto numero, ut vel soli indices titulorum ex eo, quod initio commemoravi, *Collectaneorum Ursilianorum Volumine* a me in privatos usus studiorum adnotati collectique plures paginas impleverint. Neque vero in ea re, quod nonnemo forte expers hujuscemodi studiorum opinabitur, laborem solummodo assiduum crebrasque pertulit vigilias, aut illas duntaxat molestias & ærumnas in se suscepit, quæ in tot explicandis declarandisque veteris ac persæpe fugientis & evanidæ scripturæ siglis ac pæne ænig-

ænigmatis necessario devoranda erat ; sed etiam porro ingenii acuti ac multa jam arte atque meditatione exercitati vim adhibuit ejusmodi , quæ multis in locis ac sententiis istorum monumentorum ea videret inveniretque , ac deinde ad varias partes antiquæ nostræ historiæ explanandas & confirmandas aptissime converteret , quibus simili ratione deprehendendis aut investigandis pares pauci fuissent , sollertia autem atque perspicacior fortasse nemo . Ceterum hoc primo & longe præcipuo labore perfunctus , veluti materia cæsa & comportata , ipsa deinde opera , quæ animo destinaverat , faciliori negotio , sed cura profecto & sollertia haud minore , perfecit absolvitque . Initium ab *Epitoma Historiæ Basiliensis factum* , Anno CICICLXXVII latino sermone edita , quæ pariter gustum aliquem largioris epuli , quod cummaxime instruebat , doctis hominibus præberet , pariter etiam ipsorum judicia mature tentaret exploraretque ; cum omnino is liber majoris voluminis , in quo vel maxime elaborabat *Ursinus* , concinnum aliquod & valde accuratum esset Breviarium , resque omnes , quæ dignæ viderentur studiosorum antiquitatis cognitione venusto in compendio terse ac perspicue exhiberet . Et secuta est profecto doctissimorum quorumvis hominum elegantiumque æstimatorum hujuscemodi laboris litterarii singularis quædam & mire conspirans approbatio , qui inde ex eo tempore nunquam cessarunt veluti certatim rogare atque obsecrare *Ursinum* , ne tardaret illud etiam amplius copiosiusque opus , cuius brevem tantum adumbrationem ac delineationem , edito hocce Breviario , præmiserat , quam primum pro-

promere. Neque tamen prius, quam anno deinde tertio, id in lucem est editum: non tantum, quod adduci nequirit homo omnis officii observantissimus, uti minus propterea discipulorum studiis inserviret, qui disciplinas Mathematicas tam publice in Auditorio Academiæ, quam privatim domi suæ sollertiaffime tradentem vehementer gestiebant audire; verum ideo quoque vel maxime, quoniam assidue rimanti atque investiganti multæ undique chartæ ac notitiae veteres antea nondum cognitæ ac lectæ quotidie offerebantur, quæ partim variis illorum commentariorum capitibus amplius illustrandis & confirmandis, partim etiam historiis quibusdam ad res Rauricas pertinentibus noviter describendis explicandisque materiem amplam atque uberem suppeditarent. Ceterum de ipso Opere, quod passim eruditorum virorum manibus, qui quidem Germanice sciunt, teratur, ac plurimorum elogijs jam pridem ornatum & cohonestatum sit, nihil necesse arbitror, multa dicere. Tantum in illorum gratiam, qui ejus sermonis expertes ipsi per se id legere atque aestimare haud valent, & tamen vitam Ursilii ac merita in bonas litteras sic quoque avert cognoscere, paucis memorabo: Quum in duas omnino partes distributi illi sint Commentarii, priorem quidem, quæ vetustæ regionis Rauracorum pariter cum omni circumquaque vicino tractu descriptionem continet, perfectæ cujusdam Chorographiæ specimen velutique exemplar esse, in qua nihil ad historiam cujuscunque oppidi, pagi, vici, arcis, fluminis, rivi, montis, nemoris, præcipue vero etiam ad stemmata Gentium ac familiarum illustrium, quæ variis tempo-

temporibus in iisdem hisce oris locisque effloruerunt, aliquo pacto pertinens desideretur, quod quidem ex vetustis chartis ac memoriis humana industria erpi illa tempestate potuerit: Partem vero alteram ejus Libri, non tantum res ab omni vetustate in hac regione Raurica, & reliquo circumquaque vicino tractu gestas pariter cum Episcoporum Basiliensium serie atque factis venuste copioseque, quantum ex omni genere monumentorum colligi ac pervestigari poterant, exponere; verum etiam multa capita partim antiquæ illius Alemannicæ atque Francicæ historiæ, partim ejus, quæ paullo est recentior, ac saltem nomen paullum immutavit, Germanicæ, Gallicæ, Burgundicæ, quatenus hæ cum nostra ista aliquo pacto junguntur & cohærent, mirifice illustrare; ut, qui unam ex ipsis penitus discere & cognoscere voluerit, is libro *Ursifiano* carere nullo modo queat. Sed de hoc jam satis. Ceterum ipse eadem tempestate atque opera, certe ex eadem sylva materiarum, quam indefatigabili labore ab illo comportatam & coacervatam undique esse supra ostendimus, aliud porro opus egregium exstruxit, quod etiam proprius ad hancce Basileam nostram pertineat, ac industriam solertiamque auctoris nihilo minorem, quam illud Chronicon Rauricum, prodat; quanquam volume ac mole sine dubio vincatur. Observaverat *Ursifius* vel primus vel inter primos certe munimentum illud a Valentiniano Romano Imperatore prope Basiliam excitatum, cuius mentio est apud *Ammianum Marcellinum*, (*) & quod idem

Ee 5

iste

(*) Hist. L. XXX. C. 3.

iste auctor ab accolis *Robur* scribit appellatum fuisse, partem esse Urbis nostræ eam ipsam, quæ in summo clivo atque colle eo, qui ad ripam dextram Birseci rivuli, quo loco iste in Rhenum effluit, leniter assurgens desuper huic fluvio imminet, ac priscæ appellationis vestigia retinens, cum pluribus vicis, insulis, areis constet, tamen ab omni memoria suo quodam ac proprio nomine, *auf Burg*, a reliquo oppido secerni ac distingui consuevit. Argumenta in eam rem complura afferebat, valde firma & probabilia. Nam præter nomen istud, quod modo dixi, multis utique indiciis ac documentis constat, vetustam illam Basiliam *Ammiano* memoratam, & prope quam adeo munimentum illud Valentiniani exstructum hic Scriptor narrat, ad ripam utramque Birseci paullum in longitudinem porrectam, neque a Reno tam procul excucurrisse, ac ea, quæ nunc est urbs, neque etiam in geminum clivum, cui plurimis jam annis maximam partem incumbit, valde adhucdum adscendisse. Unde conficitur, & quadrare egregie in eum collem *Ammiani* verba, cum prope Basiliam *Reboris* nomine munitionem esse exædificatam ab Romano Imperatore narrat, & situm ipsum mire accommodum atque opportunum fuisse arci ejusmodi, quæ coërcendis ac refrænandis Alemannorum jam tum ad sinistram Rheni amnis ripam, Basiliæ objectam, agentium, crebris trajectionibus, excursionibusque in vicinam Provinciam, potissimum destinabatur; præsertim cum longissimo inde tractu nullus usquam sese ostendat locus, qui ita alte supra ripam ipsam fluminis editus elatusque sit, vel tam longe in oppositos ultra Rhe-

num

num campos collesque prospectum habeat. Accedunt denique & nummi , qui in ista tantum , quam dixi , gemina regione Urbis , sed tamen præcipue in illa parte editiore , cui ab omni retro vetustate nomen fuisse auf Burg , supra indicavi , haud admodum rarerter ex fundamentis ædium effodiuntur , maximam partem Constantinianorum temporum & vel præcipue ipsius Gratiani , Parentisque ejus Valentiniani , item & Valentis ac Valentiniani junioris , qui dubitare neminem sinant , quin ea loca ante excidium Romani imperii ab hominibus inhabitata , atque adeo domibus atque ædificiis frequentata fuerint.

Non videtur hoc loco prætereundum esse , quando tam opportune in mentionem Roboris a Valentiniano prope Basiliam conditi incidimus , præter testimonium Ammiani , quod unicum in eam rem occurrerat Urfisio , aliam quoque extare auctoritatem mire aptam ad hancce historiam confirmandam illustrandamque in L. 33. Cod. Theod. de Cursu publico , quando hæc lex præscriptis non minibus Valentiniani , Valentis & Gratiani A A A. memoratur data esse Idib. Jul. Robore Gratiano III. & Aequitio Consulibus , qui idem ipse est annus , quo perfectam eam munitionem fuisse Ammianus tradit ; unde nimirum etiam ibidem tanti per habitasse & res imperii administrasse illum Principem liquet.

Hancce itaque Urbis nostræ regionem libro singulari ornare ac describere aggressus Urfisius , cum reliqua omnia , quæ ad ejus antiquitatem & præcipuorum quorumvis ædificiorum variis tempesti-

pestatibus ibi exstructorum notitiam pertinent, diligenter ac venuste exposuit, tum vero Summi Templi, quod pariter ea regione Urbis continetur, historiam prodidit ejusmodi, ex plurimis vetustis chartis monumentisque excerptam & collectam, quæ non modo a nostris hominibus cum summa voluptate legatur, verum alienos quoque utili & jucunda multarum rerum notitia instruere sit idonea. Ceterum hic liber necdum in publicam lucem editus dominum nunc cummaxime habet virum pl. Rev. atque ejusmodi possessione vel in primis dignum, *Job. Henricum Bruckerum* (*), Ecclesiæ oppidi Lucisvallensis in agro nostro Raurico Pastorem & Concionatorem, omni genere virtutum ad hoc gravissimum munus recte gerendum ornatum, quem facile speramus, illius usum doctis hominibus & hujus antiquitatis studiosis, ubi ipsorum desideria id videbuntur flagitare, lubenter concessurum esse.

Sed ad *Ursifum* revertimur. Qui post exantatos superiores labores animum continuo ad aliud Opus egregium applicuit, cuius etiam multo latius patet utilitas, cum id plane parti longe nobilissimæ historiæ Germanicæ præclaram facem posset allucere. Nempe invenerat in illa diligentissima conquisitione & investigatione monumentorum ad antiquitates Rau-

(*) Est iste Vir hoc ipso anno ad Pastoratum Ecclesiæ Petrinæ Basiliensis suo merito vocatus, postquam per complures annos Archidiaconatum Ecclesiæ Cathedralis gessisset. Filius ejus est ejusdem nominis Historiarum in Acad. Bas. Prof. Clariſſ.

Rauricas pertinentium non pauca etiam Chronica manu exarata *Ursinus*, partim nunquam antea prælis excusa, partim multo locupletiora atque emendatoriæ, quam edita fuerant ad eam diem; videbatque omnino, plurima in iis contineri, de rebus Germaniæ præsertim, quæ dignissima essent hominum elegantium cognitione, neque tamen in illis Commentariis atque annalibus Rauricis, quos dixi, locum idoneum ac proprium usquam habuissent. Quapropter non longa instituta deliberatione illud sibi deinceps negotii datum esse credidit, ut quidquid in eo librorum acervo bonæ frugis atque eximium videbatur, id cunctorum usibus palam proponeret. Sic ergo natum est geminum Volumen Scriptorum ad res in Germania gestas inde ab Henrico IV Imperatoris tempore illo infesto ac mire turbulentio usque ad A. CCCCC. pertinendum. De quo novo & adeo ultimo viri diligentissimi labore nihil attinet hoc loco plura dicere, non modo quod istorum ipsorum editioni librorum opportune iteratæ hæc- ce *Ursini* vita præfigenda est; verum etiam ideo vel maxime, ne quidquam a me præcipiatur præcerpaturque eorum, quæ Clarissimus Editor (*), vel potius Restitutor Operis de illius laude ac præstabilitate ex ditissimo penu doctrinæ suæ, multis jam insignibus documentis declaratae, expromere cogitat; quando hic suo jure postulare potest ac debet, ut ejusmodi argumen- tum integrum & illibatum sibi servetur & relin- quatur.

(*) Vide Not. sub initio positam.

quatur. Hactenus de libris & commentariis
Urſiſiū. (*)

Vix hæc ad finem erant perducta , cum ecce
tibi alia viro subnascitur laborum series , non
quidem fortassis rei publicæ litterariae pariter ,
uti superiores fuerant , utilium , sed Patriæ ipsius
profecto , huic , inquam , Basiliæ nostræ , sine
ambiguitate longe fructuosiorum ; ac tanto magis
quidem , quoniam , cum tempora incidissent
ejusmodi , quæ virum *Urſiſio* similem ad duo
munera tam ab se invicem , quam a superioribus
istis diversa ex ordine admoveri , ac , si opus ,
etiam compelli , necessario requirerent , nemo
tamen inveniebatur tum quidem , de quo tantam
spem civitas nostra , quantam de hoc , valeret
concipere.

Duo viri in Basiliensi Academia ea tempeſtate ,
& erat annus A. N. C. CICICLXXXIII , publice
pro

(*) Libris ab Urſiſio editis addi debent Paulli Æmilii
& Arnoldi Ferronii Historiæ de Gestis Francorum , ad a.
1574. perductæ , & in germanicam Linguam versæ , Ba-
ſileæ in f. excudit Henricus Petri . Cœterum invenio Ema-
nelem Urſiſium , Basiliensem , Medicum sub initio ſe-
culi XVII florentem , & Biennæ Medicinam facientem ,
observationes Medicas Epiftola comprehensas data Biennæ
d. 21. Jan. 1615. Fabricio Hildano mififfe , quas iste Ope-
ribus suis inſeruit. Vid. Fabricii Hild. Centur. Epift. 28.
Nec dubito hunc fuifſe Christiani nostri filium , quem
Medicæ Facultatis Basil. Matricula docet , a. 1594. in nu-
mero Studiosorum Medicinæ fuifſe ; quum alias iſtius
gentis , nunc penitus extinctæ , propagines haud invenia-
mus. J. C. B.

pro cathedra sacras litteras docebant, *Simon Salcerus*, & *Ulricus Coccius*, ille præter Professionem Theologicam etiam primario Urbis templo præfector Ecclesiarumque Antistes, hic simul Pastor Ædis Petrinæ. Nam qui tertius in Collegio esse debebat, & quodam tempore fuerat, *Joh. Jac. Grynæus* non multo ante vehementer poscenti Palatino Principi Johanni Casimiro concessus fuerat, uti operam ipsi tantisper in constituenda Ecclesia Academiaque Heidelbergensi navaret, quoad hac re perfecta a civitate nostra revocaretur. Ibi accidit, ut ambo illi superiores intra spatum paucorum mensium tam ingravescente senectute, quam orta inde imbecillitate perpetua valetudinis morbisque propemodum concatenatis, commisso sibi munere amplius fungi prohiberentur. Quapropter cum ejusmodi incommodo remedium deinceps ab ipsismet exspectare, ut erat utriusque ætas, vanum omnino & frustraneum videretur, re diligenter ac serio deliberata expensaque factum decretum est, conspirantibus Senatus Urbani pariter atque Academicis sententiis, ut senes quidem illi duo, quemadmodum optabant & necessario petebant, rude donarentur; interea vero, donec alterutrius mox novis consilijs locum ac viam ostenderet, viri tres alii sanctissimam disciplinam traderent Academicæ juventuti, *Christianus hic noster Urtisius*, *Johannes Brandmüllerus* & *Beatus Helius*. Et hosce quidem cunctos mandato sibi munere pro sua quemque parte egregie functos multis præclarisque documentis comprobatum habemus. Sed ne tamen obscurum esset, primas utique datas fuisse *Urtisio*, illud facit, quod hic, *Ulrico Coccio* altero post

anno

anno fato functo , cum necdum Heidelberga
Grynaeus rediisset , quam Coccius tenuerat cathedram , absque ullo ambitu concordibus utriusque
Ordinis suffragii statim honestissime est consecutus.

Neque vero docendo solum ac disputando hoc
in munere sacrarum litterarum studia mirifice ad-
juvit ; sed pro sua pietate ac prudentia alia quo-
que in re maximi momenti utilissimam Patriæ na-
vavit operam . Nam cum Sulcero atque Coccio
Professoribus nescio quo pacto (neque enim hic
satis idoneus est locus de eo negotio copiosius
exponendi) Basiliensis Ecclesia ab Helveticis ce-
teris , quibuscum antea inde a beato Oecolampa-
dio arctissimo födere conjuncta fuerat , sensim
abstracta esset , ac jam pæne prorsus avulsa , qui
captum ex ea re dolorem etiam vivis illis & cum
maxime florentibus nunquam dissimulaverat Ursti-
sius , simulac provinciam suscepit ejusmodi , quæ
facultatem aliquam daret , medelam ei malo affe-
rendi , jam tum ante redditum Grynaei nihil habuit
prius aut antiquius , quam uti repudiatis istis ulti-
mis consiliis ac sententiis , quæ profecto etiam
aliis multis viris optimis , & religionis atque Patriæ
amantissimis valde displicuerant , totum se se ad
primorum temporum instituta exemplaque refer-
ret & conformaret , atque Helvetiorum fratum
concordiam studiose tam ipse pro se coleret , quam
colendam aliis suaderet . Et successit sane hæc
res præclare , Grynaeumque paullo post Heidelber-
ga revertentem , cum is eandem plane viam & ra-
tionem sibi insistendam esse , etiam ante iter Palati-
num , in animum induxisset , mirifice subleva-
vit .

Nihil

Nihil agebat jam vel cogitabat *Urtisius* aliud, nisi de suscepta tam feliciter provincia porro quoque ornanda. Jamque in eo erat, ut insignia Doctoris Theologi, ipso Brabeuta *Grynae*, primo quoque tempore capesseret; cum praeter opinionem tam *Urtisii*, quam aliorum, vacante tum forte præfectura tabularii, Senatus civitatis gravissimam provinciam ei potissimum mandandam esse decernit. Cujus quidem decreti fortassis haud abs re fuerit caussas & rationes paullo altius repetere, ne vel Ordo Amplissimus in *Urtiso* a sacra cathedra quomodocunque detrahendo non pro reliqua sua pietate ac prudentia fecisse existimetur, vel ipse *Urtisius*, qui in ea re morem Senatui sine detractione gessit, contra officium constantiamque Doctoris Christiani aliquid peccasse possit videri. Quanquam sane omnis ista dubitatio verbo pæne unico expediri potest, cum constet ea tempestate non tantum gravissima jura nostræ civitatis, cuius incolumitate Ecclesiæ quoque securitas, ac tranquillitas continetur, a vicinis quibusdam impedita atque oppugnata esse, verum etiam ipsi religioni varia undique pericula fuisse intentata, hasque ob caussas in Senatu Urbano gravissimas deliberationes quotidie institui solitas. Ecquis enim non intelligit, in ejusmodi discrimine plurimum omnino reip. interfuisse, adhiberi vel maxime hominem simul sacrarum litterarum plena ac perfecta cognitione præditum, simul rerum atque jurum civitatis apprime intelligentem? Ne longior sim, ut quisque vel prudentia alios anteibat, vel religionem atque Patriam præcipue cordi & curæ habebat, ita constans & acerrime pugnabat contendebatque,

utramque pariter in manifestum adduci discrimen, nisi *Urtifius* eligeretur. Nam, ne vel hoc omittam, quod rerum nostrarum gnaris in mentem venire isto loco posset, qui solus tum quidem præter *Urtifium* ad eandem tuendam dignitatem mire aptus in civitate erat *Bonifacius Amerbachius J. C. & Syndicus*, præterquam quod alio jam in munere operam reip. navabat, atque adeo ad ejus causas defendendas pridem erat auctoratus, nimium insuper proiectus ætate esse credebatur, quam uti novum onus ejus humeris senilibus imponendum esse videretur. Quæ cum ita sint, minime profecto nobis verendum est, ne quis homo cordatus & quorumvis officiorum prudens æstimator, vel Senatum illum, qui *Urtifium* sibi ad curam tabularii litterarumque publicarum adlegit adscivitque, vel etiam *Urtifium*, qui Se-natus Auctoritati ac mandatis paruit, quidquam in seculi culpæ suspicetur admississe.

Illud tantum voluissent, sed frustra, eheu! omnes boni ac pii, quibus Patriæ salus atque utilitas cordi erat, uti provinciam tanta cum spe atque exspectatione cunctorum, tam prudenti consilio, tam denique necessario commissam, etiam longiori tempore, quemadmodum ætas ipsius, &, quæ ad eam diem fuerat, valetudo polliceri videbantur, retinere ornareque potuisset. Verum enimvero ita tulit casus infestus, ut hujusce sui consilii breves tantum, & sane præclaros atque uberes, sed non etiam diuturnos fructus ferrent optimi illi & sapientissimi Viri, qui tum Basiliensem civitatem administrabant. Etenim dum ille ad novum genus laborum & curarum etiam

etiam novam quandam industriam atque assiduitatem conatur afferre, dum & dies totos in Conciliis ac deliberationibus Senatus, vel in tabulario isto publico conterit, & noctes excutiendis chartis ac membranis eodem pertinentibus indesinenter consumit, uno verbo, dum se ipsum & illam suam superioris temporis indefatigabilem industriam vincere omni modo studet, vixdum sesquianno ita exacto, plane in flore aetatis, quippe annos natus haud amplius XLIV. & menses tres, A. CICLOLXXXVIII. a. d. III. Cal. April. finem fecit vivendi. Ceterum quanto cum luctu Magistratum, qua cum civitatis universae moestitia, quo dolore hominum doctorum tam hujus Urbis, quam eorum, qui usquam terrarum Ursium noverant ac libros viri legerant, obierit, non jam dico; ne Panegyricum potius ei dicere, quam ipsius vitam describere videar voluisse. Sepultus est in præcipuo Urbis Templo, eo ipso, cuius omnem vetustatem atque historiam docto illo & laborioso Commentario, quem supra commemoravi, exposuerat illustrataque. Funus curavit ac monumentum defuncto erexit uxor *Valeria*, ex vetere atque in primis honesta Murerorum familia progenita, quæ cum ipso conjunctissime in matrimonio vixerat, septemque ei liberos pererat utriusque sexus. Ex filiis fuit, qui honores in civitate postmodum caperet; studiis tamen operatus est, quod resciscere potuerimus, nemo.

* * *

In Epistolis ad *Wolfg.* & *Abrab.* *Musculos exaratis*, quarum *avtolygaxa* Zoffingæ adservari dicuntur, extant litteræ *Christiani Urstii*, quas non inutile erit hoc loco subjicere.

Clariss. Viro, D. Abrahamo, Wolfgangi filio,
MUSCULO, Patriæ eruditionis hæredi, Dao-
f. Bernam.

S. P. Innotuit mihi, Clarissime Vir, indicio M. Francisci Fischmanni, Pippinensis Ecclesiastæ, asservari isthic in Collegii vestri Bibliotheca, Chronicum quoddam Manuscriptum, ni fallor, multa rerum Helveticarum antiquitate refertum. Authorem & titulum Libri non tenebat, antiquus item an novus esset, ignorabat. Referebat tantum, D. Christianum Amportum, Collegii vestri præsidem ex eo cuidam commonstrasse, quantum Witlispachium oppidum Urbem vestram ætate præiret. Inde conjicere potui, Librum eum molienti mihi Rauracorum exactam descriptionem usui esse posse. Rauracos enim appello Juræ montis accolas, inter quos Buchsigaui vestri Arola flumine austrotenus terminati recensendi veniunt. Cum vero tua erga me voluntas aliorum relatu multo ante mihi innotuerit, quanquam collatis non acceptis beneficiis amicitias sancendas esse norim, existimavi tamen te pro tua virtute, hoc mendicandi genus, ad quod instituto meo sum pertractus, mihi haud quaquam vitiosum, quin potius tuam, sicubi fieri queat, benevolentiam mihi declaraturum. Oro igitur, humanissime Vir, ut, siquidem liber is ejusmodi sit,

fit, quem sine vestro damno vel præjudicio mihi
communicare possitis, apud eos, quorum inter-
est, meo nomine efficere digneris, quo ejus mi-
hi copia fiat. Nisi tantæ sit molis, ut viatorem
nimis oneret, tuto eum modesto huic & eruditio
juveni, Joh. Jac. Bumanno, alumna Tigurino,
Scholæ nostræ affæclæ, mihi ferendum tradere
poteritis. Quod si volumen amplum sit, nisi
grave sit, obsecro, ut alia occasione mihi redi-
cures; in vecturam si quæ expendenda sint, lu-
bens dissolvam, bona fide recipiens, effectu-
rum me, ut paucos post dies iterum ad vos re-
deat. Sin autem aliquid sit, quod thesauri loco
habeatis, nolim vobis esse molestus. Ego vicis-
sim ex gratæ officiosæque talionis lege, sicubi
mea tibi opella usui esse queat, benevolentiae
mutuum spondeo. Vale, Vir Clarissime, meæ-
que importunitati ignosce. Basileæ. 8. Julii.
1579.

T. Studiofissimus.

Christianus Urstius

Mathemat. Profess.

(*) Virtute & eruditione præstantissim. Viro,
D. Jo. Guilhelmo STUCKIO,
Professori & Scholarchæ Tigurino, Domino &
Amico suo colendo.

S.

Nunc tandem Ornatiss. D. Stucki, otium
qualecunque nactus, ad literas tuas ex
officio mihi respondendum esse duxi.
Fuerunt enim illæ bimestri abhinc ad me datae,
amore & benevolentia erga me referatae, ut effu-
sus tuus in me animus, ad reponendum amicitiae
mutuum dudum cessationem omnem abrumpere
debuisset. Verum, quanquam tardius me ad id
composuerim, confido tamen te id variis negoti-
orum remoris libenter adscripturum. Evidem
quod postremis, ut arbitror, ad Clariss. Virum
D. Lavatherum literis, missoque ad te *Basiliensis hi-
storiæ præambulo tuam* (utpote singulari virtute &
eruditione prædicti, simulque antiquitatis studiosi
Viri) notitiam familiaritatemque mihi conciliare
optarim, tu vero oblatum hominis et si ignoti,
amicet tamen erga te affecti, votum, adeo prom-
te amplexus sis, ut etiam res tuas hoc nomine cu-
jusdam boni accessione auctas es duxeris: id po-
tius

(*) Cum superior illa Urstissi Vita jam præclum ex-
eretur, atque ego varias, quæ apud nos hinc inde in
Scrinis reconditæ latent, hujus Viri Epistolas conquire-
rem, opportune mihi oblata est hæc Epistola ex *Archivo*
Uroya-
Opus, quod in Archivo Eccl. Tig. Tom. XLV. p. 411. ha-
betur, aurica manu descripta, quam præcedenti subjun-
gere visum est. Forte alia vice delectum Epistolarum Ur-
stissanarum ad nostrates tecum communicare licebit. J. B.

tius syncerissimi candoris tui, quam ullius in me
 rei fuisse agnosco, quæ ad amicitiam mecum con-
 trahendam firmiterque colendam allicere te potue-
 rit. Atque ita cætera quoque mihi abs te tributa,
 animi potius amanter affecti voces, quam digna
 mihi præconia excipienda esse novi: Quocirca ob
 propensam tuam in me voluntatem, qua me
 amicorum tuorum numero non indignum censue-
 ris, gratias ago habeoque summas, profiteorque
 me porro amici officium, non verbis solum, sed
 & facto data occasione prosequuturum. Deus fa-
 xit, ut istæ mutui amoris primitiæ uberem ali-
 quando messem consequantur. Rerum Basileensi-
 um præludium a me editum, & ad te aliasque
 multos viros doctos missum est idcirco, ut eos ad
 institutum meum promovendum excirem, adi-
 tumque historiis pararem. Quamquam, cum
 tot nævis conspersum sit, ejus me pudeat atque
 pœniteat. Cœterum, quæ illius occasione de te,
 tuorum que Majorum apud Claronenses nobilitate,
 ubi eos Secoviensis Ecclesiæ vasallos fuisse memo-
 ras, gratissima mihi jucundaque lectu fuerunt, in-
 primis vero volupe mihi fuit, te Basileam pueritiæ
 tuæ altricem facere, eoque in Cœnobio apud ma-
 terteram a teneris educatum, in quo postea ego,
 Magistratus nostri jussu atque permisso, & quidem
 eadem Fulachiana habitatione usus, integrum bi-
 ennium, annum videlicet supra sexagesimum,
 quintum & sextum, transegi, cujus rei præsens
 Oeconomus utpote hospes, omnesque nostri mi-
 hi testes. Quocirca si quid pro locupletanda Ba-
 silea apud te sit, aut alibi noris, ut ejus me par-
 ticipem facere digneris, obnixe rogo: ego quicquid
 abs te earum rerum profectum fuerit, tuo adscri-

bam nomini. Demum quod mihi mōneris Academicī caūsa, ad quod ἐκὼν ἀκαντέ pertractus sum, gratularis, accipio id tanquam ab amico profectum, agoque gratias, ego si vestrīs eo commōdare potero, promptissimum me in provehendis eorum conatibus sentient. Matthiam sane Cellaniū, tum ob singularem modestiam, tum ob industriam atque diligentiam ab omnībus laudari scio: e cōteris vero quod nonnulli diligentes & assidui sīt, pronuntiare nequeo, idque eam ob caūsam, quod reliquorū classīcorū & ad gradus aspirantium more, negligentiarum censuram, quā singulis mensib⁹ bis habetur, non subeant. Existimarem autem, e re ipsorum fore, si lectio-nes sibi præscriptas tam stricte frequentare tene-rentur, ut, quemadmodum alii, absentiæ suæ rationes coram Magistris nostris, reddere cogeren-tur, ita enim & de cūjusvis profectu & diligentia certius ad vos scribere possem. Tuum erit, quia Scholæ præfectum agis, super ea re deliberare, & quid statuatis, significare. Faxit Christus, ut omnes sitis diutissime incolumes. D. Triubius datis nuper ad me literis ipsum ad nos brevi descen-surum promisit, cupio igitur illi meo nomine sa-lutem dici, simulque me adventum illius expec-tare, quo si quid officii benevolentiaeque exhibe-ri possim, me omne in eum effusurum. Salutem præterea ex me dici cupio D. Lavathero, Halle-ro &c. Tu interim Vir humanissime perpetuum vale. Basileæ IV. Kalend. Julii 1577.

Totus T.

Christ. Urstadius.
(Mathematū Professōr.)

Epiſtolæ

EPISTOLÆ

de

(*) Negotio Irenico
Clariss. Viri J. DURÆI.

Reverendo in Christo viro & fratri dilecto,
D. JO. JACOBO BREITINGERO,
Ecclesiæ Tigurinæ pastori fidelissimo.

Nihil afferam, Clarissime atque Doctissime
Vir & frater in Christo Reverende, quo
excusem hanc parrhesiam, qua te com-
pello. Fretus enim tua humanitate & pietate id fa-
cio, neque mihi dubium est, quin tibi acceptum
hoc fuerit nuncium, quod affero, atque optatissi-

Ff 5

mum

(*) Quis qualisve fuerit J. DURÆUS, quam incre-
dibili arserit desiderio Protestantium dissensum compo-
nendi, quam difficultia suscepit eum in finem itinera;
quot obstacula passim in hoc negotio invenerit &c. cum
Eruditis omnibus nota sint, non opus est ut pluribus heic
loci de eo agam. Constat insuper Duræum hunc, quem
Nobilissimus STUKIUS, Theologus Tigurinus Clarissimus,
Sæculi sui Bucerum appellavit, de pacificatione illa sacra
rite suscipienda, & si pote id fieri potuisset, ad felicem
exitum perducenda, sœpissime cum Ecclesiis Reformatis
Helveticis contulisse. Tot extant in privatis & publicis
Bibliothecis Tigurinis epistolæ ab Eo & ad Eum de hoc ne-
gotio datae: tot ad manus sunt Virorum doctorum de eo-
dem argumento consilia & judicia: tot denique reperium-

mum postulatum, non meum, sed potius Ecclesiarum Dei & Theologorum in iis præcipuorum, quorum sensum ac votum in hac caussa patefacio. Horum nomine a Reverenda Dignitate tua contendo per communionem Spiritus JESU CHRISTI, ut velis hanc caussam diligenter fratribus com-

tur deliberationes in publicis Comitiis de re gravissima habite, ut integra de conatibus illis irenicis in Helvetia susceptis edi possent volumina. Hinc sc̄epe optavi, ut Vir aliquis doctus, præcipua, quæ ad hoc negotium pertinent, ex monumentis illis colligeret, servatoque temporis ordine cum erudito orbe communicaret. Ipsem et ego non semel amore pacis inductus, ad laborem ejusmodi suscipiendum animum adjeci: sed varia quibus disstringor negotia, morbique quibus non raro infestor, impediuerunt hactenus, quo minus Operi admoverem manus. Negotium tamen hoc esset, Viro docto pio & veri amante dignissimum. Nonsolum enim ad historiam ecclesiasticam illius temporis, quo inter Helvetios versatus est Duræus, illustrandam, multum ejusmodi labor conferret; sed ex eo etiam manifestum fieret, quam propenso semper Helvetii erga dissidentes fratres Lutheranos fuerint animo, quamque enixe id egerint, ut opus hoc desideratissimum quantum possent promoverent. Hinc etiamnum fieri solet, ut singulis diebus dominicis Tiguri in publicis preceibus Deum oremus, ut animos utriusque partis ad pacem illam ineundam flectere velit. Auctor dissertationis de Joh. DURÆO pacificatore Celeberrimo habita sub præsidio Venerandi MOSHEMII, haud obscure significat, Helvetios Theologos attenta mente, animisque ad pacem inclinatis valde, consilia Duræi, modumque has controversias tractandi, easdemque componendi expendisse. Auctor pag. 56 ita loquitur: Anno MDCLXII ad Helvetios commeabat Duræus & Tiguri sèdem figebat. Neque hos valde morosos & disticiles inveniebat. Et pa-

commendare & promovere auctoritate tua, ne vos
soli in tanta caussa juvanda deesse afflictis atque
opem vestram expectantibus videamini. Scitis in
die conflictus Jehovæ adversus fortis maledictum
fuisse Merozo ab angelo Domini, quod ejus inco-
læ non advenissent ad auxilium Jehovæ. Absit,
ut

gina 41. & 42. inquit : *Principes salutabantur Tigurini Theologi*, qui quatuor epistolis mense Julio datis multa
cum amoris & benevolentie testificatione propositum
modum agendi & media approbabant & recipiebant : &
postquam narrasset, Duræum ad cæteras Ecclesiæ Re-
formatas Helveticas profectum , ita pergit : *Cognitis &*
collectis Ecclesiarum sententiis primum universa Ecclesia
Helvetica die XV. Aprilis , JACOBI HULDRICI
Antistitis Tigurini , calamo , deinde Patres Helvetorum
conscripti A. MDCLV d. XXI Aprilis perhumaniter re-
spondebant , consilio applaudebant , & operam suam ad
promovendum pacis negotium liberaliter promittebant.
His promissis non contenti Proceres Helvetiorum non con-
temnenda pecunia summa , CROMWELLI ad Exemp-
lum , eum instruebant , quo facilius destinata Itinera ob-
ire posset. Epistolæ , quarum mentionem facit Auctor ,
legi postulat in Timanni Gesselii Med. D. Historia Sacra
& Ecclesiastica , pag. 766. extat Tigurinorum Judici-
um de Reverendissimi D. Duræi scopo : pag. 767. ex-
hibetur uberior Scopi declaratio : pag. 770. reperitur
Declaratio Ecclesiarum & Academiarum Helvetica Re-
formatæ : pag. 773. reperias declarationem Amplissimo-
rum Helvetica Reformatae Magistratum super negotio pa-
cificatorio Rev. & Cl. D. Duræi. Epistolæ hæ omnes
lectu sunt dignissimæ. Utrum vero Auctor Commenta-
tionis bonam , an in malam partem interpretatus sit bene-

ut de vestro Zelo tale quid suspicer, sed hoc nobis omnibus exemplum propositum esse intelligo ad diligentiam maiorem excitandam, ne segnescientibus similes occasionem rei bene gerendæ cum populo Dei amittamus. Hæc vero occasio qualis quantaque sit, vos ipsi ex rerum circumstantiis in epi-

volum Helvetiorum Theologorum, erga negotium Duræi affectum, hic non queram. Ex universa Dissertat. patet, Eum neque Duræo, neque ipsius Instituto favisse. Et quantum mihi cognitum est, ut ante hæc tempora, sic ab eo cumprimis, quo negotia hæc Irenica inter Duræum & Helvetios agitata sunt, hi publice omni data occasione ostenderunt, quam sint ad lites illas compendiendas parati. Inter Duræi epistolas reperiuntur plures ad *τον μακριπήν Κλ. Heideggerum* Theologum Tugurinum datæ: Quantum Is vero ad Schisma illud tollendum conferre allaboraverit, documento esse possunt binæ Ejus dissertationes de *Concordia Protestantium*, quæ nonsolum inter dissertationes ipsius selectas reperiuntur, sed & in forma, quam appellant 8. Amstelodami Typis H. Wetstenii excusæ sunt. Quod si forte unus vel alter Theologus, aut V. D. Minister Helvetius, de controversiis, quæ inter Protestantes agitantur, ita scriperit, ut colligi inde posse videatur, cum ad pacem illam exoptatam ineundam non admodum proclivem esse, non tamen propterea id universo Coœtu Reformatarum Ecclesiæ, quæ in Helvetia florent, attribuendum est. Hinc miratus sum Doctissimum continuatorem Hist. Ecc. Heinsianæ parte III continuat: hoc anno editæ pag. 417. scripsisse, Helvetios Reformatos nimis pertinaciter suis opinionibus inhærere & ab Unione inter Protestantes in eunda ita alienos esse. Præterquam enim quod egregia scripta Irenica *Werenfelsii*, *Turretini*, *Heideggeri*, *Huldrici*, aliorumque Helvetiorum de componendo Protestantium dissensu notissima sint; Qualis tandem est hæc

epistola omnibus inscripta & scopo consiliorum, ex instrumenti apographo & problematum p̄fatione poteritis judicare. Neque opus esse existimo addere quicquam in hisce privatis, nisi hoc, ex quo intelligetis, qua ratione responsum ad me mitti velim. Id fieri poterit, si litteræ mihi inscriptæ vel ad Ecclesię Gallicā, quæ Hanoviæ est, pastores mittantur, vel ad mercatorem Anglum, D. Guilielmum Fitzerum, qui Francofurti degit in vico, cui nomen est der Hellergassen. Si interea tutio & commodior opportunitas vobis obveniat scribendi in Angliam, poteritis ad D. Burlemachi, mercatorem Londinensem ubique terrarum notissimum literas mittere cum inscriptione, quæ illas vel ad me, vel me absente ad D. Thomam Röe, Equitem aūratum, ipsi probe notum, diriget. Quoniam autem incertum mihi est, quamdiu in hisce

ratiocinatio: Quidam Theologus Bernensis (nam Censores Tigurini, quorum judicio suum librum subjecit Cl. & amicissimus STAPFERUS nihil expungendum esse censuerunt) quædam e Mscto Stapferi eliminanda esse censuit; Ergo Theologi Helvetii omnes mordaciter opinibus ad religionem quocunque modo spectantibus adhaerent. De momento autem hujus dissensus præstat nihil quam non satis dicere. Ego dudum existimavi, dissensum illum facile sine Principiū & Synodorum auxilio componi posse, si ad negotium hoc tractandum adhibeantur Theologi vere sapientes, momentorum capitum religionis gnari, & amore pacis incensi. Coeterum hæc epistola Duræi quantum scimus avendos est. Meminit illius Cl. Hottingerus in Hist. Ref. Helveticæ Tom. III. pag. 1065. Eam vero debemus humanitati Rev. & doctissimi Viri J. Simleti V. D. M. Classis V. Carolinæ Vicarii dignissimi. J. Z.

hisce partibus morabor, brevi forsan in Britanniam iter facturus, existimo consultius fore, ut litteras vestras ad Archiepiscopum & Episcopum scribendas, mittatis prima quaque occasione ad D. praefectum Thomam Rœ excellentem atque eximiæ auctoritatis virum, qui me absente illas exhibere poterit iis, quibus inscribentur. Si autem privatam aliquam epistolam mittere velitis per D. Fitzerum, in antecessum facietis rem gravissimam illi, qui est

Dabam Heilbrunnæ
 $\frac{12}{22}$ Aprilis 1633.

Reverendæ dignitatis vestræ
 observantissimus in Domino
 Joannes Duræus.

Rev-

Reverendis & Clarissimis Viris, & in Christo Fratribus dilectis, Academiæ atque Ecclesiæ Tigrinæ Professoribus & Pastoribus doctissimis ac fidelissimis, Dominis suis summe colendis.

Gratia & pax sit vobis a Deo Patre in Domino nostro Jesu Christo, per Spiritus Sancti communionem. Amen.

Ecclisiæ Dei ædificationem spiritualem, Reverendi Clarissimique Viri, in Christo Patres & Fratres dilectissimi, non aliter quam per membrorum omnium in ea sanctam inter se in charitate conspirationem fieri posse, manifeste appetet ex Apostoli verbis ad Ephes. IV. ubi dicit, ex Christo capite totum corpus Ecclesiæ congruenter coagmentatum, & per omnes suppeditatas commissuras compactum capere incrementum sibi ipsi conveniens ad sui ipsius exstructionem. Id autem a duplice cauſa fieri docet, scilicet, per charitatem tanquam instrumentum, & ex facultate iotus agente in quolibet membro, tanquam materia & partibus quæ domum Dei constituunt. Vivum enim est tabernaculum Domini, & in illo nos omnes lapides vivi sumus: sed vinculum perfectionis, quo inter nos compacti stamus, atque unum corpus a capite pendemus, charitas est. Hæc ab omnibus eandem pro se se invicem curam & mutuam sollicitudinem exigit: Hæc nullum membrum præ alio negligit: hæc ad opus ædificationis quodlibet illorum exsuscitat, & cujusque facultatis mensuram diversam adhibet. Cujus rei typus extare videtur

detur in structura Tabernaculi Mosaici, ad quam
vocabantur omnes promiscue Israelitæ, ut non
solum voluntarias oblationes offerrent, sed etiam
(quotquot Deus imbuerat scientia, artisque ali-
cujus peritia) ut manum operi admoverent, at-
que ipsam structuram juvarent. Idem nunc fieri
necessè est in reparandis tabernaculi Christiani rui-
nis, cui opellam hanc nostram collocamus. Ex
scopo ipso, ex problematum præfatione atque
ex instrumenti forma Theologorum chirographis
signata res ista clare liquet: neque aliud quicquam
hoc loco addendum videtur, nisi brevis narratio,
ex qua plenius instituti consilii de re tota, in po-
sterum communi consensu procuranda, rationes
intelligetis: Atque iis explicatis fraterne rogabi-
mus pietatem vestram, ut pro Zelo erga domum
Dei vestro & præsenti Ecclesiæ afflictissimæ con-
ditione summaque necessitate; vestras in hoc
negotio conjunctas operas piorum votis & studiis
concedatis.

Jam bīennium & amplius elapsum est, ex quo
nostrates Britanni fuerunt a Borussis ad cogitatio-
nes hasce provocati: Nostri ista respondere vo-
luerunt illorum voto, ut & alios simul ad eas-
dem curas secum excitarent. Hoc igitur instru-
mentum, cuius apographum mitto extare volue-
runt in testimonium sui in hac caufa studii, &
ut pacis evangelicæ studiosos ad consiliorum com-
mercum invitarent. Problemata vero diu an-
tea fuerant concepta inter privatos quosdam &
variis exhibita, ut haberent doctiores certa quæ-
dam capita rerum, ad quæ omnes suffragia sua &
consilia referre, suoque tempore utiliter com-
muni-

municare aliis possent. Eo jam res processit post colloquium Lipsiense (habitum anno 1631 inter Theologos Saxones, Brandenburgicos & Hassos) ut Ecclesiæ Reformatæ omnes, quæ sunt in Palatinatu, Ducatu Bipontino, Hassia, & vicinis locis sub Comitibus Hannovico, Nassovicis, Solmensibus, Isemburgicis, & alijs Wetteravicis, scripserint jussu Magistratus sui ad Archiepiscopum Cantuariensem, Episcopum Londinensem, & Theologos nostros, rogatum, ut in hoc proposito perseverent, & Serenissimum Regem nostrum hortentur, ut in se se Mediatoris munus inter partes dissidentes suscipiat: Atque eo fine cum Lutheranis Principibus, Rege Daniæ, Pro-Rege Sueciæ atque Electore Saxoniæ agat, id quod summi capitii & directoris in hoc negotio officium, & res ipsa suadebit: neque dubium est, quin si id fiat, res ex voto piorum effectum sortiatur optatum. Nam & Danus sua sponte moderata consilia capit: publico enim edicto non ita pri-dem promulgato suis prohibuit, ne pro concione nostros calumniis laceſſerent; & de Sueco spes fuit vivo Rege permagna, quæ etiam nondum penitus evanuit: De Saxone vero post colloquium Lipsiense maxima est expectatio. Nam in illo colloquio fundamentum concordiae non contem-nendum jactum est: ibi enim Augustanæ Confes-sionis capita omnia Theologi percurrerunt, at-que in iis doctrinæ utriusque partis consensum talem esse demonstrarunt, ut controversiæ mo-mentum redeat solum ad duo aut tria scholasti-cæ speculationis capita, de quibus altum præsta-ret esse silentium, quam curiosam disquisitio-nem. Si jam hoc factio inter Germanos ipsos

initio accederet , tempore tam opportuno , Ecclesiis laborantibus & publicæ defensionis necessitate conjunctis , intercessio atque mediatio Ecclesiarum exterarum utriusque partis , nihil videtur obstatre posse , quo minus per Dei gratiam voto fruamur . Hoc ergo fine Serenissimus Rex Magnæ Brittanniæ (quo nullus intervenire mediator potest aptior) per Theologos suos rogandus est , ut id ad Dei gloriam , Evangeliique propagationem atque Ecclesiarum ex Pontificiæ persecutionis tyrannide eluctantium incolumentatem facere velit . Facturum autem id certo confidimus , si per eosdem Theologos ipsi constet , non defuturos in tanto negotio reliquos in Ecclesiis Gallicis , Helveticis & Belgicis reformatos Pastores & Doctores , qui sua ipsi consilia communicent , ut res illa fieri possit consentientibus omnium reformatarum Ecclesiarum suffragiis .

Rogamus itaque vos , in Christo Reverendi Fratres , ne per vos stet , quominus id Ipsius testatum esse queat : per reliquos certe non stabit . Scitis autem hanc rem superiori seculo semper ab iis expeditam : aliquoties tentatam : saepius incep tam fuisse : sed nunquam tot & tantis autoribus ; tempore tam opportuno , spe tanta , conatu tam multiplici , tam rei quæsitæ accommodato , votis denique & studiis tam communibus suscepta vel proposita fuit . Rogandi ergo sunt omnes illi , quibus Deus eundem Spiritum , eadem desideria , eosdem affectus inspiravit in Evangelii ministerio , ut inter se quoque conjunctis precibus , viribus & communicato consilio idem opus age re velint in timore Domini , quod commune bonum concernit . Neque alio fine commercium pio-

piorum aut inter nostros institutum est , aut integrum
 alios (quos in tuenda Veritate Charitatis Christianae Spiritus moderatis affectibus imbuit) quæri-
 tur , quam ut idonei in hac caussa viri talentum
 sibi a Deo concessum ad publicam ædificationem Ecclesiæ contribuere , & huc conferre velint.
 Atque ideo fraterni fœderis in hoc conatu fidelem
 dextram multorum nomine vobis porrigo , atque
 hoc tantum requiro , ut illi qui se curas istas no-
 biscum suscipere velle profitentur , ejus rei testi-
 monium aliquod exhibeant , tam iis , qui ad
 societatis in hoc genere communionem illos in-
 vitant , quam iis , qui in re promovenda auto-
 ritatem suam interponent , suggestaque ab uni-
 versis consilia ad optatum finem legitimis ratio-
 nibus dirigere tentabunt. Ex quo jam patet ,
 quid a vobis contendam , scilicet , ut tanquam
 vivi in templo Dei lapides vestrum in structura
 locum obtineatis , & promissum eximiis Dei ser-
 vis in Propheta honorem , hac occasione vobis
 oblatum acceptetis , ut vocari inter alios velitis
 Instauratores ruinæ , priscarum solitudinum re-
 stitutores & desolatæ civitatis renovatores. Quod
 fiet , si scriptis ad Reverendissimum Archiepisco-
 pum Cantuariensem , Episcopum Londonensem ,
 & Theologos nostros litteris , de communi fra-
 trum consensu piorum manus in opere suscepto
 roboretis : atque his quidem amœbæam operam
 suo tempore in Theologici suffragii communica-
 tione promittatis : apud illos vero pro Ecclesiis
 Germanicis , intercessione vestra procuretis , ut
 Regi suo tam pium opus de meliori nota com-
 mendent , cui pro vestra parte vos non defuturos
 spondebitis.

Supervacaneum duco, vos pluribus, ut hoc fiat, & non lente fiat, obtestari: Hoc sufficiat, nihil hic proponi, quod fraterna charitas, Ecclesiæ necessitas, sanctorum communio, & officii vestri ratio non requirat, & quod non etiam iussi estis a Deo facere vel hoc generali præcepto: Nempe igitur quæ ad pacem faciunt, seculum, & quæ ad mutuam ædificationem: Vel illo specia- liori: Observemus alii alios, ut nos auemus ad bona opera & charitatem. Item hoc alio: Exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, Quantus hinc ædificationis fructus ad omnes, quantum piis gaudium, quanta Ecclesiis consolatio, Antichristo confusio & trepidatio & Deo gloria emergat, vobis est facilis co- gitare, quam mihi verbis efferre. Atque ideo ne si plura adderem de zeli, pietatis, charitatis & studii in fratres vestri genuina sinceritate viderer dubitare, hic finem facio: Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi ex animo precatus, ut vestris in Evangelio laboribus ex alto clementer benedicat, ne sint inanes in Domino: sed fructus affe- rant vobis pares laboribus tam verbi & precum, quos ovibus curæ vestræ commissis, quam charitatis non sicutæ, quos fratribus in hac sancta communione studiorum impendetis. Valete in Christo Viri & Fratres omni honore mihi colendi. Dabam $\frac{12}{22}$ Aprilis anno 1633. Heilbrunnæ tem- pore Comitiorum.

Reverendarum Dignitatum vestrarum
Observantissimus

Joannes Duræus,
Ecclesiastes Scoto - Britannus.

NOVA

NOVA LITERARIA.

TURICUM. In Gessneri Officina exscriptus est liber hujusmodi: *H. Bibel-Uebung, oder deutliche und gründliche in Fragen und Antworten abgefassete Erklärung und Zueignung der Geschichten der H. Aposteln, in welcher jedes Stük dieses H. Buchs begriffenlich erläutert, und zur Gottseligkeit zu Neuz gemacht wird; zur Beförderung des Wachsthums in der Gnade und Erfüllnuß unsers Herren und Heylandes Jesu Christi, in Druck überlassen von Hans Conrad Wirz, Pfarer und des Stifts zum grossen Münster: Ister Theil, in sich begreiffend die Verhandlung der XII ersten Capiteln.* Zürich. 1747. 8. pl. 78. Novum iste Commentarius catecheticus in XII priora Actorum Apostolicorum Capita documentum est acerrimi ac indefessi studii, curae ac laboris, quibus Venerabilis Ecclesiarum Turicensium Antistes, inter gravissima sanctissimi munera religiose observata ac præstata officia, quæ totum hominem postulare videntur, non intermittit in promovenda etiam hac ratione Ecclesiæ Christi commoda gnaviter incumbere atque doctrinæ salutaris cognitionem amplificare. Quam cupide non tantum a nostris, sed etiam ab exterris, Germaniæ & Belgiae Theologis atque Christianis promiscue omnis generis & ordinis, superiores Viri Venerandi in S. Marci, S. Luca & S. Joannis Evangelia labores, qui Unctionem Spiritus & præmorsos ungues sapiunt, fuerint excepti, nemini obscurum est: At vero quum etiam in hisce Com-

mentariis consribendis, eadem methodi rationem secutus, non minori, si non majori, cura ac diligentia fuerit versatus, manifestum est, quis fructus, quæ incrementa salutaris cognitionis & pietatis etiam ex hac lectione exspectari possint.

Idem *Gessnerus* nobis dedit: Kurze und einfältige Erläuterung des verkürzten Catechismi, oder so genannten Fragstükleins wahrer christenlicher Religion: zum Unterricht der Kindern in Christo und Vermehrung der Erkanntnß der Wahrheit aus dem Wort Gottes aufgesetzt durch Johann Heinrich Fries, Diener der Kirchen zu St. Peter in Zürich. 1747. 12. Libellus ite catecheticus, ob insignem, quem in institutione in primis Religionis christianæ rudimentis, longo usu jam præstitit fructum, optimo consilio seorsim nunc editus comparet.

Apud *Conr. Aurelium* prostat: Beyträge zur Erläuterung der Kirchen-Reformations-Geschichten des Schweizerlandes: Enthaltende authentische bisshero zum theil ungedruckte, zum theil ganz rare Urkunden, Manifeste, Missive, Unterredungen, Verträge, Lehr-Säze, Confessionen, Schutz- und Streit-Schriften, darinnen die Zwistigkeiten der Römisch-Catholischen, der Lutheraner, und der Reformierten; wie auch der Wiedertäufer, u. a. Sectierer, auf das klarste an den Tag geleget werden.: Nebst historisch-critischen Anmerkungen zur Beschuzung des Sel. Reformations-Werks herausgegeben von Johann Conrad Füsslin. III. Theil. Zürich 1747. 8. pl. 33., Titulus

ad gustum Teutonum copiosissimus, quibus hac in parte satisfieri non potest, nisi & fontes, & argumenta, & consilia, & usum Libri ex ejus Inscriptione statim cognoscant: Et apprime in hunc quoque librum convenit judicium, quod Diarii Trivoltiensis auctores de alio ejus generis libello nuper tulisse legi: *Ce livre est savant, curieux & methodique: Son titre pouvoit encore se mettre en deux mots, sauf à énoncer dans une courte preface toute l'étendue des objets, qu'on y traite. En Librairie comme en Architecture, il ne faut pas faire le Frontispice aussi grand que tout les corps de l'ouvrage.* Cœterum laudabilis hujus Instituti ratio ex duabus prioribus harum Symbolarum partibus, quæ jam superioribus annis in publicam lucem exierunt, nemini potest esse obscura, cui quidem hoc Litterarum genus curæ cordique est. Exhibit vero tertium illuc Syntagma hujusmodi argumenta: 1.) *Johann Salats, Gericht-Schr. zu Lucern Bericht von der Zürichischen Disputation wider die Bilder und Mess;* e MSc. cum *avtoyezāφω* collato. 2.) *Conrad Hofmanns Bitschrift an den Rath zu Zürich,* das Reformationswerk betreffend. 3.) *Einige Antworten der Gemeinden auf der Landschafft an den Rath zu Zürich wegen der vorhabenden Religionsverbesserung:* ex Actis publicis. 4.) *Vortrag des Raths zu Zürich an die Land-Leuthe:* ex Actis publicis. 5.) *Machricht von dem Gespräche zu Marpurg;* abgefasset von *Heinrich Bullinger:* ex Bullingeri Annalibus. 6.) *Bedenken der Hrn. Gelehrten zu Zürich,* betreffend die Wiedertäuffer, von An. 1535.: e MSC. Bibliothec. civic. 7.) *III. Sammlung einiger Urkunden,* welche

den Ursprung und die Absichten der Wiedertäufer des Schweizerlandes entdecken: ex eod. fonte. 8.) Wannfrieds von Camben Annexionen zu dem Vlden Band der Leipzigischen Universal-Chronic: Videtur ipse Cl. Auctor ficto hoc nomine locum sibi quæsivisse in *Placii Catalogo Pseudonymorum*. Rarissima vero hæc Documenta non nuda in publicum protruduntur, sed copiosis illustrata annotationibus. Huic vero Syntagmati prælulusit plurimum Rev. Auctor Præfatione adeo ampla, ut prologus fere major sit ipsa fabula: In qua, præter varias eruditas observationes & disquisitiones, quæ Documentorum in hoc libro comprehensorum auctores & fata concernunt, illorum quoque Virtorum causam in se suscipit, qui ipsi videntur ab aliis falso accusati, neque quicquam pensi habet

Tros Rutulusve fuit,

Qua de re in hac Præfatione & Serveti contra Bullingerum, & *Calvini* adversus nuperos quosdam Calvinomastigas patronum agit: In ea vero, quam pro Calvinio, ejusdemque de Prædestinatione doctrina scripsit, *Apologia* ita rem agit, ut Adversariis, cum quibus congreditur, videri possit Calvinio alienos, hoc est, suos sensus affinxisse: Provocabunt illi ad eundem *Calvini* libellum de *Prædestinatione & Providentia Dei*, An. 1550 seorsim editum, ex quo *Apologiae* suæ fundamenta hauisse vult videri Cl. Fueslinus: at illi opponent loca multo clariora ac evidenteriora, quam quæ ab ipso producta sunt, & quæ ejus mentem de hoc argumento ita perspicue patefaciunt, ut eum sensum, quem ipsis tribuere vellet, nullo modo patiantur.

tiantur. Excitabo ex pluribus pauca: p. m. 22.
 hæc leguntur: *Demum subneicit S. Paulus clausam:*
Deum, cuius vult, misereri, & quem vult indurare.
Vides ut in solum Dei arbitrium utrumque conferat!
Ergo si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, NISI quoniam ita illi PLACET:
neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam
eius VOLUNTATEM. Cum enim dicitur Deus vel
 indurare, vel misericordia prosequi, quem voluerit: eo
 admonentur homines, nihil causæ querere EXTRA
Ejus VOLUNTATEM. Et mox p. m. 23. Repu-
 tent, quantæ sit improbitatis, causas divinae Volunta-
 tis duntaxat percontari: cum omnium, quæ sunt, ipsa
 sit causa, & merito esse debeat. Nam si ullam causam
 habet; aliquid eum antecedat oportet, cui veluti
 alligetur, quod nefas est imaginari. Adeo enim summa
 est justitiae regula Dei voluntas, ut, quicquid
 vult, eo ipso quod vult, justum habendum sit.
 Ubi ergo queritur, cur ita fecerit Dominus? Respon-
 dendum est: *Quia VOLVIT.* Quod si ultra pergas ro-
 gando: Cur voluerit? majus aliquid queris & subli-
 mius Dei Voluntate, quod inveniri non potest. Re-
 ver. Pastor Feldheimensis p. XXXV. hunc in
 modum Calvini mentem repræsentat: Calvin unterwirft alles dem freyen Willen Gottes, und
 wenn er eine Nothwendigkeit zugiebt, leitet er
 dieselbige von dem Willen Gottes her - - Diese
 Nothwendigkeit röhret von dem Vorherwissen
 Gottes her, weil er sich alle Dinge, eh sie würklich
 waren, vorstellte, und NB diejenigen ge-
 wollt hat, welche ihn seinen Absichten am ge-
 mässtesten zu seyn bedünkt haben. Quid ad hæc
 Calvinus Libr: cit. p. m. 29? *Si quis caussetur,*
nullam eis inferri necessitatem ex Dei Providentia, sed

potius ea conditione a Domino esse creatos, quoniam futuram eorum pravitatem præviderit: neque nihil dicit, neque totum. Solent quidem interdum hic solutione uti veteres, sed quasi dubitanter. Scholastici vero in ea quiescunt, ac si nihil contra opponi posset. Evidem Præscientiam solam nullam inferre necessitatem creaturis libenter concessero, tametsi non omnes assentiantur. Sunt enim, qui ipsam quoque causam rerum esse volunt. Verum mihi acutius ac prudentius videtur per p̄fexisse Valla, qui supervacuam esse hanc contentionem ostendit, quoniam & vita & mors, divinæ magis voluntatis, quam præscientiæ sint actiones. Si hominum eventa prævideret Deus duntaxat, non etiam suo arbitrio disposeret ac ordinaret, tum non abs re agitaretur quæstio: Ecquid ad eorum necessitatem valeat ipsius providentia? Sed NB. cum non alia ratione, quæ futura sunt prævideat, nisi QUAIA ita ut fierent DECREVIT: frustra de Præscientia lis movetur, ubi constat, ordinatione potius & nutu omnia evenire. Inficiari ergo nemo poterit, quin præsriverit Dominus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: Et NB IDEO præsiverit, quia decreto suo sic ordinarat. &c. &c. Videat jam, dicent adversarii, quomodo hæc sua asserta, cum Calvini mente in concordiam redigat, quum p. XI. pertendit: Calvin verwirft eine solche Gerechtigkeit, die nur in der Macht bestehet, und leitet dieselbige aus dem Vorherwissen Gottes und der Ueberlegung der Sachen her. Neque sufficit, ut Calvinum cum Calvino committas, loca quædam ex ejus Scriptis excitasse, quæ aut de voluntate Dei in genere loquuntur, aut Sapientiam, Justitiam, a Dei consiliis non penitus separandam esse docent. &c. &c. ut deinde possis eas conciliandi vias

vias ac rationes comminisci , quæ ipsa ejus Sententia videri possint audaciores ac duriores . Et quid rei christianæ prodesset , novas de hoc argu- mento Fratribus A. C. movere lites , quas dudum jam inter æquos utrique parti addictos Doctores sopitas esse , boni omnes gaudent ? De ceteris (nam Iliacos intra muros peccatur & extra) va- leat illud S. Pauli : Εἰ τις δοκεῖ φίλονευκός εἶναι , ἵμερις τοταῦτην συνιδεῖεν ἐν ἔχομεν , οὐδὲ αἱ ἐπικλησίαι του Θεού . Quam velim etiam , ut arcanam illam narratiunculam p. LXXII. de origine & occasio- ne Libri gallici *la Religion essentielle* Clariss. Fueslinus pro sua æquitate silentio perire , quam pro- palare maluisset , ea enim si falsa est , ut obscura fama sæpe est nuntia falsi , proxime ab injuria abeat , & non habet ullum nisi ad invidiam con- citandam usum . Id vero cum æquitatis studio neutiquam pugnat , quod Clariss. Fueslinus *Læscheri* , quem verius Incendiarium theologicum appellares , & cuius impotentem criminandi libi- dinem ipsi prudentiores ex Lutheri Sectatoribus indigne ferunt , pro merito castigat atque perstrin- git . Ceterum isthoc Rever. Fueslini Institutum , quod studiose nunc persequi aggreditur , ita com- paratum est , ut id omnibus modis promotum cupiant , quicunque veritatem in cognoscenda Reformationis historia sectantur .

Orellianis litteris quoque exscriptus est libellus hujusmodi : Alexander Popens Duncias mit his- torischen Noten und einem Schreiben des Ue- bersezers an die Obotriten . Zürich . 1747 . 8vo pl . 4 . Scil . metrica translatio est Satyrici Carmi- nis , quo summus Angliæ Poëta POPE sui ævi Poetastrorum , eorumque fidos Satellites Typogra- phos

phos attico sale perfundit, eosque deridendos omnibus propinat: Et nisi suspicio fallit, isthæc translatio debetur Viro Spectatissimo J. J. BODMER, qui severiorem Musam æque faventem habuit in transferendo divino Miltoni Carmine epico.

Recens quoque ex eodem prælo prodit nova & alterum tantum auctior Editio libelli elegantissimi de Liberorum Educatione, sub titulo: Versuch von der Erziehung und Unterweisung der Kinder. Zürich. 1748. 8vo pl. 24. Accedunt etiam Appendicis loco 1.) Schreiben an Herrn A. E. J. darinn dieser Versuch beurtheilet wird. 2.) Regeln einer vernünftigen Aufführung für einen jungen Menschen: Aus dem Französischen übersezt. 3.) Ein Versuch über die heutige Auferziehung: Aus dem Englischen übersezt. Autor hujus Opusculi, quod mea commendatione non indiget, est Vir Clariss. JO. GEORGIUS SULZERUS, Vitoduranus, V. D. M. qui nuper magno suo merito suffragante in primis illustri MAUPERTVISO, a Serenissimo Borussorum Rege Matheseus Professor publicus in Berolinensi Gymnasio Joachimsvallensi est designatus.

Huc pertinet quoque festivus iste libellus, quem eadem Aureliana officina procuravit: **Johann Georg Sulzers** vernünftiger Versuch von der Auferziehung der Kinder einfältig widerleget von **Kinderlieb Mag.** Zürich. 1748. 8vo pl. 5.

Ridentem dicere verum quid vetat?

Sed hoc ipsum RIDERE nonnisi exquisitissimi ingenii & summæ artis est: quod jam olim in ipso hoc arguento per ironiam explicando non optimo

timo cum successu expertus est Celeberrimus de CROVSAY, Lausannensis Philosophus. Videsis Laufferi Dissert. de recta Liberorum educatione a. 1723 primum editam.

Prostat apud eundem quoque Orellium: Der gemisshandelte Opiz in der Trillerischen Ausfertigung seiner Gedichte. 1747. 8vo pl. 6. Ostenditur isthoc libello, quam infeliciter fuerit versatus doctissimus alias TRILLERUS, sed omnis censuræ ac emendationis impatiens, in recensenda ac curanda nupera Carminum Opitianorum editione Varrentrappiana, in quam prorsus convenit fabula illa Aesopica de Larva comica. Distinctus est iste Libellus in IX. Sectiones, quarum argumenta hæc sunt: 1.) Von dem erneuerten Ansehen Martin Opizzen, und von seinen eiteln Verehrern. 2.) Von der Uebereilung in der Erwählung der Feilgiebelschen Ausgabe. 3.) Von dem ängstlichen Fleisse Opizzens Orthographie zu verbessern. 4.) Von der unglücklichen Bemühung Opizzens Hartigkeit im Sylben-Masse, in der Construction und den Reimen zu verbessern. 5.) Von der kleinen, unzeitigen, und übel angebrachten Belesenheit in den Anmerkungen. 6.) Von dem Mangel, den seine Ausgabe an denen lateinischen Stücken hat, welche mit den deutschen Gedichten verbunden sind. 7.) Von der Unordnung in der Abtheilung der Gedichte; und von dem Mangel der Einheiten in den Kupferstichen. 8.) Von dem Mangel des Opizischen Geistes in dem Gedichte zum Vobe Opizzen, und dem an den Kaiser. 9.) Ob die Absicht ein verwegenes Unternehmen entschuldige?

Ubique

Ubique desideratur fides , judicium , cura Editoris.

Heideggerus & Soc. nobis dederunt : Herrn Thomsons Lobgesang auf die vier Jahrs-Zeiten , von Herrn Brockes übersetzt , und in Musick gebracht zu drey Stimmen , und einem oder zwey Chören von Herrn Hans Jacob Ott. Zürich. 1747. Fol. pl. 16.

Eorundem prælum exercuit quoque : Die Kirchen-Historie des A. und N. Testaments bis auf die gegenwärtige Zeiten. Samt angehängten Gedächtniß-Tabellen , und durch und durch beygefügten Anmerckungen zur Gottseligkeit : Herausgegeben von Heinrich Stäheli , Pfarrer bey der Gemeinde zu St. Leonhard in St. Gallen. Zürich 1747. 8vo pl. 32. Plurimum Reverendus Autor in hoc compendio Historiæ eccl. præcipue secutus est ductum Compendii Lampiani , consultis & in usum adhibitis aliis quoque ejus generis Libris : Tabulas vero mnemonicas consecit & excerpst ex Historia eccl. vener. Theologi Tubingensis Pfaffi , & ex Operे biblico Langiano. In omnibus autem respexit Reverendus Autor ad usum & incrementum in vera pietate , quam etiam hac ratione , in primis apud S. Ministerii Candidatos , multum promoveri posse , sibi persuadet. In præfatione habes gravem de vera methodo concionandi disputationem , in qua tamen multa occurunt , quæ distinctius explicata ac definita varia circa Doctrinæ moralis Christianæ indolem & necessitatem præjudicia dispellerent ac profligarent. Neque vero minus gravis est illa , de eximia , qua præ ceteris ornati esse

esse debent Verbi Dei Ministri , Sanctimonia demonstratio.

Dedit nobis eadem Heideggeri officina operis desideratissimi , cui Vir Clarissimus STAPFERVS elaborando assidue incumbit , Partem III. cuius haec est Inscriptio : *Joh. Friedr. Staphers , Pred. des G. W. Grundlegung zur wahren Religion. IIIter Theil. Zürich. 1747. 8vo pl. 45.* Quatuor autem haec Pars complectitur præcipua Religionis capita : nimis. Caput. VII. de S. S. Trinitatis mysterio. Cap. VIII. de divinis Nominibus & perfectionibus aut virtutibus , quæ ex sola Revelatione nobis innotescunt , scil. de Amore Dei , de ejus Benignitate , Gratia , Misericordia. Cap. IX. de Decreto divino. Cap. X. de Creatione in genere. In horum autem Capitum tractatione , eam , quæ in superioribus Tomis Lectorum attentionem retinebat , perspicuitatem , soliditatem , ordinis lucem , modestiam , nullo modo desiderabis. Atque in primis Caput IX ostendit prudentis ac moderati Theologi exemplum , qui post habito omni Sectæ studio , non quærerit aliud nisi τὸ ἀληθεύειν εὐ αγαπητοῦ : quod utinam ab utraque parte indies plures sibi ad imitandum proponerent !

Novissime prælum hujus Typographi reliquit : *De Consilio de emendanda Ecclesia auspiciis Pauli III. Pont. Rom. a quatuor Cardinalibus & quinque aliis Praefulibus conscripto ; ac a Paulo IV. damnato : ad Eminentissimum ac Reverendissimum ANGELVM MARIAM CARD. QVIRINVM , Bibliothecarium Vaticanum & Episcopum Brixensem , Epistola J. GEORGII SCHELHORNII. Accessit ob raritatem ac præstantiam suam JO. STVRMII de eodem Consilio*

Consilio Epistola. Tiguri. 1748. 4to pl. 10. Doleat
 Clariss. SCHELHORNIVS Pastor & Bibliothecarius
Memmingensis, se Eminentiss. Cardinalis QVIRINI
 iteratis provocationibus ac obtestationibus tantum
 non invitum & reluctantem ad hanc disputatio-
 nem publicam esse pertractum: Sed postquam
 sine famæ dispendio se certamen hoc detrectare
 non amplius posse intelligeret, id bonæ caussæ
 fiducia cordate suscipere, & ea, quibus niti se
 non temere profitebatur, præsidia magno nume-
 ro in aciem deducere aggressus est. Et quidem
 in prima hac Epistola, (quam plures aliæ exci-
 pient,) celebre illud de emendanda Ecclesia Con-
 silium, Pauli III. P. R. jussu & auspiciis a novem-
 virali illustrium Virorum Collegio conceptum ac
 consignatum sub examen vocare, atque edocere
 instituit, illud ipsum a Paulo IV, qui magna ta-
 men ejus consultationis pars ipsem fuit, in Ro-
 manum Librorum hæreticorum & damnatorum
 Indicem esse relatum, ex quo deinde in ceteros
 etiam, eum ad nostra usque tempora insecuros,
 migraverit. Est hæc Epistola, ut reliqua Viri
 Clarissimi Scripta, magna rerum ad historiam ec-
 clesiasticam & litterariam arcanam pertinentium
 copia referta, ut non possit non Lectores rerum
 varietate erudire atque oblectare, & in legendō
 non sine voluptate retinere: quin etiam exem-
 plum præbet, quod humanitas, reverentia &
 modestia veritatis studio nihil obsint, sed illud
 magis ornent atque illustrent.

Prodiit hic quoque libellus catecheticus & asce-
 ticus, ex duabus prioribus editionibus satis no-
 tus, & qui ad erudiendas in salutari cognitione
 mentes, ad formandam vitæ vere christianæ pra-
 xin,

xin, ad fovendum fidei in precibus & canticis exercitium satis commendari non potest: præfert autem hunc titulum: Des nach der seligen Ewigkeit reisenden Christen treuer Geleitsmann, welchen zum dritten mahl verbessert in eignem Verlage durch den Druck mittheilt Joh. Rudolf Siegler, Kirchen- und Schul-Diener in Zürich, mit einer Vorrede von Herrn Justus Hartmann Lucanus, Prediger in Magdeburg. Zürich. 1748. 12mo. Constat iste libellus quatuor partibus: 1.) Des christlichen Pilgers schriftmässiger Glaubens- und Lebens-Weg zur Seligkeit. 2.) Dessen Christenthums- und Pilgrims-Pflichten. 3.) Dessen Gebett, Andacht und gen Himmel geschickte Herzens-Seufzer. 4.) Neanders und viele andere geistreiche Gesänge. Prima particula se se mihi valde probavit: sicut enim Catechismum Religionis christianæ theoreticum & practicum ex evidentissimis S. Scripturæ testimoniis magno judicio contextum, quæ præmissis quæstionibus illustrantur & ad usum vitæ revocantur. Alteram particulam ob dignitatem suam Waltherus Lipsiensis ante aliquot annos excudi fecit cum præfatione LUCANI, Pastoris Magdeburg. qui non dubitavit de toto hoc opusculo publice profiteri; Ich halte dieses ganze Werkgen für einen rechten Schatz. Appendicis loco in nova hac editione accesserunt: Gottselige Erinnerungen, welche ein Gottsgelehrter einem von Zürich in die Fremde reisenden Politico ertheilet hat.

Inter asceticos libellos, qui nuper recusi sunt, non est prætermittendus, qui Heideggeri prælum

novissime reliquit, sub hac epigraphe: Der beschäftigte Eischgenoß bey der Gnaden-Tafel des Herrn, oder aufwökende Anleitung zu denen gottseligen Betrachtungen und Uebungen der Gläubigen, welche zu würdigem und nützlichem Gebrauch des H. Abendmahls dienen: Begleitet mit einem kurzen Vorbericht von J. Jacob Hospitaler, Pfarrer am Wässenhauß und Prof. Ethic. christ. in Zürich. Nun mit einer neuen Vorrede versehen von Heinr. Stähelin, D. am Ev. J. Chr. und Pfr. zu St. Leonhard in St. Gallen. 2. Theil. Zürich. 1748. 8vo. Altera pars, quæ ad repetitam hanc editionem accessit, continet precum formulas & sermones sacros.

Lucem quoque aspexit libellus nonnisi duas phylliras complexus sub titulo: Freymüthige Gedanken über ein freundliches Gespräch, bestreßende die in dem Lobl. Canton Lucern der Religion halben entstandene Bewegungen. Zürich. 1747. Huic libello, qui nonnulla explicat ad historiam motuum illorum pertinentia, adtextitur ex Clariss. Viri Lud. Holbergii vita Dialogus polemicus, in quo pro veritate Religionis reformatæ adversus doctrinam Rom. Ecclesiæ nova ratione a tuta argumentatus est.

His denique addimus Dissertationes academicas:

1.) Dissertatio theologico-exegetica in adhortationem Apostolicam de non negligendo usu Gratiae divinae in Epist. ad Hebr. XII: 15. 16. 17. quam Præside Viro Cel. JO. JACOBOLAVATERO, S. Theol. Prof. pro consequendo Examine Theologico defendenterunt tres S. M. Cand. Tiguri. 1747. 4.

2.) Medi-

2.) Meditatio sacra salutaria quædam monita ad
verum & legitimum usum SACRAE COENÆ perti-
nentia complectens: Pars posterior. Quam placido
[non intemperanti:] Eruditorum [non Sciolorum] Exa-
mini subjicit JO. JACOB. ZIMMERMANNUS, S.
Th. Prof. & Reg. Berolin. Soc. Scient. Membrum, Re-
spondente Cäp. Schaußelbergero, V. D. M. Assu-
mente Jacobo Byrklino, S. Th. Stud. Postridie Sy-
nodi Autumnalis. Tiguri 1747. 4. Persequitur
Clariss. Vir in altera hac Dissertatione argumen-
tum gravissimum, atque omnia superstitionis præ-
fidia constanti animo penitus debellare atque ever-
tere studet, parum curæ habens, quantopere de
hac veritatis evidentia ac demonstrationis luce rin-
gantur δοκιστοφοι quidam tenebriones: Hinc §.
XI statim progreditur ad tertiam causam exter-
nam, quæ impedit, quominus multi rite S. Cœ-
nam celebrent, quam cum b. m. Vitis Bullingerero,
Tillotsonio ac *Osterwaldø* docet positam esse in rigi-
da nimis & supra humanæ infirmitatis sortem elata
quorundam doctrina de digne communicantium
summa & excellenti in sanctimoniae studio perfectio-
ne, qua etiam piæ mentes sæpiissime in maximos ani-
mi angores conjiciuntur: atque hac occasione §.
XII Monita quædam ad locum Pauli I. Cor. XI:
27 - 33, quo nonnulli imprudentius abuti so-
lent, adsperrgit. Deinde vero §. XIII, mentem
suam dilucide explicat Clarissimus Auctor de fine
& usu S. Cœnæ, quem primo ac præcipue in de-
bita Mortis Jesu Christi commemoratione posi-
tum esse, cum Christo & Apostolis, omnibusque
purioris doctrinæ professoribus confidenter asse-
rit, atque ostendit eos, qui hæc nimis diluta esse
cavillari non erubuerunt, quanquam omnia Theo-

logorum, Confessionum ac Catechismorum no-
 mina, titulos etiam atque ætatem, in numerato
 habeant, nescire tamen quid sit mortem Domini
 dignis modis concelebrare: atque hac occasione
 putidam illam calumniam, quasi hoc asserendum
 purum putum Socinismum redoleret, graviter
 convellit. Neque hoc loco mihi temperare pos-
 sum, quominus ad confirmandam aserti hujus
 veritatem, iis testimonii luculentissimis, quæ in
 ipsa Dissertatione excitantur, superaddam b. BUL-
 LINGERI professionem ex ejus Sermone, in quo
 totum Cœnæ dominicæ negotium ceu spectandum oculis
 subjicitur: pag. m. 17. b. Finis Cœnæ ostenditur,
 dum non modo semel dicitur, sed repetitur etiam: Hoc
 facite in mei commemorationem. *Vult enim Do-*
minus per cœtum populi sui sanctum & per actionem hanc
veluti loquentem, adde & oculis res exponentem spectan-
das, RETINERE in MEMORIA ingens Redemtionis
nostre & passionis suæ beneficium atque mysterium, quod
ipse pro nobis & corpus in mortem dederit, & sanguine-
nem suum effuderit in remissionem peccatorum nostrorum,
& in cibum & potum, nimirum ad salutem nostram
donaverit. Unde panem & vinum spectantes, non pa-
nen & vinum solum considerare debemus; sed ea poti-
us, cuius illa sunt memoracula, passionem, inquam,
Domini & redemtionem nostram. - - - Semel mor-
tuus est, sed mors ejus unica efficax est in sempiternum;
& operatur dominus Spiritu suo in nobis & sanctificatio-
nem & vitam. Proinde memoracula hæc sunt, quæ
sunt a nobis, & memoracula quidem rerum præterita-
rum, ad retinendam interim & refricandam creberrime
memoriam passionis Domini & redemtionis nostre insti-
tuta. Dinceps vero Vir Celeberrimus §. 14.
Monita quedam complectitur circa prudentiam
in

in Sermonibus patasceualticis observandam: §.
 XV. vero ostendit , quid in asceticis illis libellis,
 in quibus de vero S. Cœnæ usu & digna præpara-
 tione agitur, jure desiderari posse sibi quidem vi-
 deatur, & quomodo comparatus esse debeat ejus-
 modi libellus, qui suis desideriis satisfaceret. §.
 XVI. exhibet monita quædam circa illorum Ser-
 monum rationem , qui proxime post publicam
 sacri hujus epuli participationem pro concione
 populi haberit solent: atque etiam §. XVII expo-
 nit, quomodo agendum esse censeat cum piis ho-
 minibus, qui post Sacrae Cœnæ usum rarius vera
 animi solatia persentiscunt & propterea animo ve-
 hementer anguntur. Sequente §. XVIII. data
 hac occasione suam Sententiam pro frequentiore
 S. Cœnæ usu modeste exponit, salvo aliorum ju-
 dicio ; memor veritatis studiosi Theologi partes
 esse, ubi ejusmodi quæstiones incident, simplici-
 ter disquirere quid verum & rei naturæ conveni-
 entius sit; Ecclesiæ vero, quo nomine multis in
 locis Principes civitatis intelligi debent, statuere,
 quid observari velit. Hinc jam An. MDCCV.
 Clariss. J. J. HOTTINGERUS peculiari Disserta-
 tione de frequenti Communione hoc argumentum dis-
 cutiendum sibi sumvit: in qua Dissertatione p. 10.
 argumentum illud ab Apostoli ὁστὸς repetitum
 non plane repudiandum esse affirmat ; dicens :
*Noluit equidem Christus convivium hoc nostrum ad cer-
 tum diem aut mensim alligari, ut Pheſach ad certam
 φάσιν Lunæ: Siquidem discrimin dierum in Ecclesia
 cessare debuit: neque semel tantum celebrari, ut idem
 Pascha : atque inde Apostolus ἀργισώς, ΟΣΑΚΙΣ,
 QUOTIES inquit. Tantum vero abest, ut ita sacrum
 hoc exercitium in Christianis restinguere voluerit, ut po-*

tius anniversario illi ritui opponendum duxerit. Rem
 tanti momenti & diserte a Christo injunctam CREBRO,
 UT APOSTOLICO ÆVO factum, ingeninandam in-
 nuens. Et recte quidem, meo judicio, hæc ob-
 servantur, continet enim illud orans tacitam
 quandam approbationem ejus moris, qui Apostoli
 Pauli ævo in Ecclesia obtinuit. Mirifice etiam
 sese mihi probavit Clariss. Hottingeri de hac quæ-
 stione Sententia, quam §. ultimo hunc in mo-
 dum explicat: Sciscitantibus quoties his partibus de-
 fungendum sit? respondemus: Aliud Ecclesiae, qua
 tempora, quibus ad S. Synaxin conveniendum sit,
 designat: Aliud piis ejus membris volvendum &
 pendendum esse. Ecclesia (vel Princeps, qui ejus
 jura occupat) operam dabit, ut terminos, tum hu-
 jus cultus dignitati & usui; tum fidelium moribus &
 fidei imbecillitati convenientes constituat. Haud con-
 sultum igitur videtur, ut ADEO frequens sit, UT
 justum tempus fidelium explorationi conscientiæque ex-
 amini non relinquatur: (quod certe non fit, nisi quis
 forte cottidianam Communionem publicam indu-
 cere velit.) Contra, quum & fidelium imbecilla fides
 fulcro; & eorum in studio pietatis cunctatio stimulo, egeat;
 & epulum illud sacrum procœnum aliquod cœlestis gan-
 dii sit, HAVD ÆQUVM EST, eam RARIOREM
 esse. &c. Certe qui vere & ex animo ita sentit,
 non potest non, ubi quæstio illa agitatur, Annon
 conducibile & laudabile foret institutum, si intra tem-
 pus, quod a S. Pentecostes festo usque ad S. Nativita-
 tis J. C. feriam decurrit, memoria J. C. in S. Cœna
 recoleretur? cum Clariss. ZIMMERMANNO pro
 affirmativa stare, atque etiam hanc rem, ut
 ÆQUAM desiderare. Hancque mentem fuisse
 etiam CALVINO, qui in Rep. de quibusdam Ec-
 clesiæ

clesiæ ritibus p. 206. id diserte profitetur: *Quum*
buc primum venirem, non distribuebatur nisi ter quo-
tannis, & quidem, ut inter Cœnani Pentecostes &
Natalis Christi septem toti menses intercederent: Mibi
placebant singuli menses: Sed cum minime persuade-
rem, satius visum est populi infirmitati ignoscere, quam
pertinacius contendere. NB. Curavi tamen referri in
Acta publica VITIOSVM esse morem nostrum, ut po-
steris facilior esset & liberior correclio. Post hæc Cla-
riss. Zimmermannus §. XIX. progreditur ad inqui-
rendas caussas internas, quæ officiunt, quo mi-
nus plurimi Christianorum verum ex iterata sæpi-
us S. Cœnæ celebratione percipient fructum: eas-
que vel generales, vel speciales esse ostendit. Por-
ro Celeberrim. Autor §. XX. monenda quædam
duxit circa usum & potestatem vocis SIGILLI,
ubi de Sacramentis adhibetur, quam in priore
Dissertatione ex ipsa rei natura accurate determi-
naverat; quoniam vero ista, sive ex imperitia,
sive ex malitia, a quibusdam semidoctis frivolis
interpretationibus in omnem, quem animo li-
buit, etiam manifeste contrarium, distracta sunt
sensum, immodestæ horum hominum & intem-
peranti cavillandi libidini uberiore explicatione
obviam eundum fuit. Denique §. XXI. subjan-
git ad testificandam ac confirmandam suam cum
Majorum nostrorum doctrina concordiam, Con-
sensum inter Ecclesiæ Tigurinae Ministros & Calvinum
atque Farellum an. MDXLIX initum: Insolentius
enim quidam primum quidem jactaverant apud
imperitos, novam esse hanc, quam Dissertatio
prior exponit, de Sacramentis doctrinam, or-
thodoxam Majorum Sententiam, publicis Eccle-
siæ Confessionibus ac Catechismis sanctitam, deserit:

mox deinde vero, ubi satis superque esset demon-
 stratum, Majores nostros p. m. cum Clariss. Dis-
 sertationis Autore de hoc argumento non sentire
 tantum, sed & loqui; cœperunt in contrarium
 affirmare: (nam QVIDAM, teste HORATIO,
 dum vitant vitium in contraria currunt:) parum si-
 bi constare in hoc argumento explicando summos
 Viros, Majores nostros & sibi ipsos multis in locis
 tantum non contradicere; quos ego nolim ita sui
 fuisse oblitos, ut suæ imperitiæ a caluminia sanctissi-
 morum Virorum colorem aliquem quærerent. His
 enim suis assertis, frivolis oppido, homines illi polli-
 citis divites fidem facient ad Calendas græcas. Ce-
 terum facere non possum, quin hoc loco pauca
 quædam pientissimorum Majorum, eaque pro-
 fessa testimonia ad magis confundendam Cavilla-
 torum pertinaciam adtexam. GVALTHERVS
 in Libro qui inscribitur: Das Haus. Kleinod
 Tom. II. p. 47. hæc habet: Es ist der Glaub für
 sich selber zum Heil genugsam, und ob wir schon
 von wegen unserer anerbornen Sorgslichkeit allerley aeu-
 serlicher Mittel, und unter denselben auch der heil. Sa-
 cramenten bedorfen; so bedarf doch der Glaub für sich
 selbs derselben nichts, als der stark genug ist den Her-
 ren Christum zu fassen, in dem alles Heil und Leben
 gefunden wurd. BVLLINGERVS in Sermone de
 Cœna Domini 1557. p. 6. b. Est autem ab initio
 receptum ac usurpatum a Domino Deo nostro, promis-
 sioni vel Verbo suo, quo gratuita & ingentia sua be-
 neficia hominibus vel præstata, vel adhuc præstanta
 commemorat, conjungere Symbola aliqua, quibus in-
 terim & homines aggregat in cœtum, in quo solenniter
 & verbis quidem Dei exponantur illa beneficia, atque
 ita renoverunt quodammodo, atque in sempiterna retine-
 antur

antur memoria; Symbolis interim eadem illa cum oculis coram subjiciantur contemplanda, quo rectius & significans Dei benevolia intelligantur, animis quoque inculcentur alii, contestatione item confirmantur; hominibusque patet FIDELIBVS, quid vicissim ab ipsis requirat Dominus, & quænam sunt pietatis officia atque exercitia. Ideoque Symbola rerum signatarum nomina accipiunt, appellata hoc ipsum quod representant, significant, in memoriam reducunt, SVOQUE MODO OBSIGNANT, certissima & verissima promissionum beneficiorumque Dei signacula vel Sigilla ac Sacra menta. IDEM in libello cui titulus: Verantwortung auf die VII Klag. Artickel 1574. p. 19. b. Und wie wir hievor vil und dik geschrieben und bekennt haben; also bekennen wir nochmahlen, und sagen, dass die Glaeubigen und Unglaeubigen in des Herren Nachtmahl, aeußerlich mit dem Mund essen des Herrn Brodt und Trank, die er genennt sin Lib und Bluet. Aber die GLAEUBIGEN, die NB hievor auch Gemeinschaft mit Christo haben, und NB Christum in ihren Herzen mit ihnen zum Nachtmal bringen, UEBEN und ERNEUWEREN da soemliche Gemeinschaft, niessen und essen deshalb nicht allein des Herrn Brodt und trinken sin Trank aeußerlich, wie die Unglaeubigen; sondern essen und trinken auch innerlich, durch den wahren Glauben, den wahren Lib und Bluet Christi, geistlich, also dass der wahr Lib Christi in Himmel, und nicht bieinden auf Erden, nicht mit den Zaehnen der niesenden, sondern durch den Glauben angenommen wird zum Leben: Dann die Kraft des Glaubens durch den heil. Geist wuerkt in den Glaeubigen, dass sie durch Christum und in Christo leben, und auch Christus in ihnen lebt. Und also haben wir nicht ein leeres eiteles Nachtmahl, geben auch und empfahen

darin nicht allein die Zeichen Brodts und Wins. Doch
 wie der Diener das Zeichen, also gibt der Herr allein
 den Glaeubigen sich selbs das verzeichnet. &c. Da-
 ran hofen wir moegen sich wol vergnuegen lassen alle die,
 so mehr die Wahrheit, Frieden und Seligkeit,
 dann ihren eignen Kyb und Zank suchen. IDEM
 in altero libello, qui inscribitur: *Zwo Predig-
 ten vom Heil. Nachtmahl. 1555.* ubi verba
 haec memorata ac notatu dignissima leguntur:
 Da aber auch das vwohl zu melden ist, dass die auf-
 sere Action oder Uebung des Nachtmals das alles allein
 durch sich selbs nicht wvürken koente noch moechte ohne
 innerliche Kraft und Wirkung des wahren Glaubens
 und Geists Christi, vvelcher NB zuvor und niithinzu
 mues wohnen im Herzen der Glaubigen, die das
 Nachtmahl begehen. Dann die h. goetliche Schrift
 gar heiter den Trost, die Sicherung und Bevesti-
 gung oder Vergewisserung dem Geist Gottes und
 dem wahren Glauben zugibt. Dannenher auch
 NB etliche gelehrt haben, die Sacramenta ha-
 bind keine Kraft ZU VERSICHERN und BE-
 VESTNEN. DAS AUCH, NB. wie jez gehoert,
 WAHR IST, wenn man sie allein für sich selbs
 betrachtet. Dann auch das außer Wort, vvievwohl
 schoen und klar es geprediget vverde, die Zuhoerer für
 sich selbs nicht erleuchtet. *I. Cor. 2: 3.* Noch den-
 noch v wird gelesen, die Apostel habind die Kilchen mit
 der Predigt des heil. Evangelii GESTERCKT oder BE-
 VESTNET *Act. 15.* Frylich nicht ohne Wirkung
 Gottes des h. Geistes: Also sollen vvir auch den Han-
 del des Nachtmahls und aller Sacramenten verstan-
 &c. &c.

BERNA. Vir. Clariss. SAM. SCHEURERUS,
*V. D. M. & Prof. Theol. primar. Regg. Socc. Anglicæ
& Berolin. aliarumque Collega superioribus his men-
sibus subita morte ex isthoc Vanitatis domicilio
ereptus, & Angelicæ Societati adscriptus, hujus
sui libri, quem semper paterno affectu comple-
xus est, editioni non supersuit; prodiit enim
ex officina Byreklini demum præcipite mense
Octobri sub hujusmodi inscriptione: *Kurzgefaßte
Natur- und Schriftmäßige Landtheologen,*
oder der im Schauen und Bauen andächtige
Landmann, wie er die zwar aller Orten, son-
derlich aber auf dem Land, so deutlich und
herrlich ausbrechende Wercke Gottes vernünf-
tig und aufmerksam beschauet; bey diesem
allem aber, und den Werken der Menschen,
und dem Landbau, auch sich selbst erbauet,
und in allem andächtig ist, seinen großmächti-
gen Schöpfer und gnädigen Erlöser zu verherr-
lichen: Ausgegeben und nun in frischer Auflag
nammhaft vermehrt, von Samuel Scheurer,
(Tit. pl.) Samt und ohne Kupfer. Mit des
Hochl. Stands Bern gnädigster Freyheit.
Zürich. in 8vo Maj.*

Principi Theologiam docendi loco in Academ.
Bernens. morte Scheureri vacuo pluribus suffragiis
ab Ampliss. Senatu Academicō impositus est Vir
pl. Reverend. atque Clariss. - - - SALCH-
LINVS, V. D. M. & S. Theol. apud Lausannen-
ses jam longo tempore Professor meritissimus.

BASILEA. Vir Cel. ANDREAS WEISSIUS,
 Ph. & J. V. D. postquam per annos XIIIII in
 Academia ista Juris Naturæ & Gentium Professor
 P. cum laude docuerat, ac interea Facultatis Ju-
 risconsultorum Adsestor, itemque Bibliothecæ
 Academicæ Curator, quem *Bibliothecarium ordi-*
narium vocant, fuerat; anni superioris æstate
 ab Illustr. & Ampliss. Academæ Lugdunensis in
 Batavis Curatoribus, ad Professionem publici pri-
 vatique Juris, lautis conditionibus vocatus est.
 Petuit itaque ab Academia patria dimissionem,
 quam ista haud sane lubenter, sed tamen conce-
 sit, addita testificatione sua honoris haud vulga-
 ris. Sic iter est ingressus sub finem Mensis Au-
 gusti, & secundo Rheno ad Batavos delatus, in
 Ampliss. ac Illustr. Curatorum, Consulum, Se-
 natus Academici, Civium ac Studiosorum Pane-
 gyri, munera sibi demandati auspicia cepit, ha-
 bita de Præsidii, quibus instructum esse oportet
 Juris publici Germanici Interpretam, Oratione,
 quæ audientium applausum obtinuit, obtinebit-
 que legentium, quum, ut speratur, typis ex-
 cusa fuerit.

2. Magni HIPPOCRATIS Coi Opuscula apha-
 ristica semeiotico-therapeutica VIII: una cum
 Jurejurando græce & latine, ex interpretatione
Anutii Foesii, aliorumque, in usum sacræ gentis
 Asclepiadeæ exarata. Basileæ Sumtibus Episco-
 pii. 1748. 8vo maj. Egregiam ac splendidam
 hanc Editionem debemus Viro excellentiss. atque
 eruditiss. J. RVDOLPHO ZVNGGERO, qui
 præfationem luculentam operi præmisit ad sacræ
 artis

artis medicæ alumnos directam , in qua 1.) de Hippocratis auctoritate . 2.) de Semeiologiæ & Therapiæ ejusdem præstantia pluribus agit , atque distincte explicat a.) quam sit necessaria morborum cognitione , ad certam eorum curationem : b.) quanti ad hanc cognitionem ponderis sint notæ & præsagia ab Hippocrate tradita : c.) quam explorata & salutaria sint ejusdem mendendi præcepta . Non vult Clariss . ZVINGGERVS nobilissimæ hujus artis alumnos ex solis neotericorum Scriptis sapere . Quum vero non quilibet artis cultor *integra* Hippocratis Opera ad manus habere aut possit aut velit ; visum est selec*tiora* quædam ejus opuscula , quæ velut in *compendio* medullam disciplinæ Hippocraticæ exhiberent , seorsim publicare , & hac editione omnia illa opuscula complecti , quæ Foesius Opp . Hippocratis a se editorum Clas*s*. II. comprehendit : nimirum , *Prænotiones* , *Prædicta* , *Coacæ* , de *Humoribus* , de *Judicationibus* , & de *diebus judicatoriis* : quibus præmisit *Jusjurandum* & *Aphorismos* : Et quidem *Jusjurandum* ex b. m. Atavi sui , Clariss . THEOD . ZVINGERERI editione Basileensi anni 1579 cum ejusdem luculenta Enarratione exhibuit . In *Aphorismis* vero religiose secutus est editionem Amstelodamensem an. 1685 , à Clariss . ab Almeloveen curatam ; adjectis præterea locis parallelis ac sententiis , cum aliorum tum *Celfi* maxime . De *humoribus* Librum dedit ad fidem editionis Lipsiensis an. 1745 a Clariss . Giuntzio singulari diligentia recensitæ & illustratæ , cum interpretatione *Lud. Dureti* , Segusiani . Reliqua vero opuscula recensuit ad fidem editionis Foesianæ ;

nae ; quæ Francof. 1590 in lucem prodiit. Hisce vero Hippocratis libellis adjecit in usum Medicæ artis cultorum Commentarii practici loco : Speculum Hippocraticum notas & præfigia morborum , nec non varia medendi præcepta ex magni Hippocratis Coi monumentis , præsertim aphoristicis , ordine alphabeticō , simulque ad praxin commodo digesta ob oculos ponens. Basil. 1747. in 8vo pl. 20.

